156

A1 (half-title) wanting.

27,151/B

HAEN, A. de

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30503103

ANTONII DE HAEN

MEDICI HAGA-BATAVI

DISSERTATIO

DE

DEGLUTITIONE,

Vel Deglutitorum in cavum Ventriculi *Deſcenſu impeditis*.

NEAPOLI MDCCLXXVIII.

Sumptibus Felicis Ippoliti Bibliopolæ

Superiorum Permiſſu.

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY
30893b

VIRO NOBILISSIMO CELEBERRIMO

GERARDO VAN SWIETEN,

Auguſtiſſimorum Imperatorum Romanorum
Archiatro & Bibliothecario, totius
Medicinæ per Auſtriam, &c.
Præſidi perpetuo, Acad.
Scient. Reg. Pariſ. Mem-
bro, &c. &c. &c.

ANTONIUS DE HAEN,

MEDICUS HAGA-BATAVUS.

COnſideranti mihi ſæpenumero, atque animo dolenti iniquam bonorum edicorum ſortem, qua contigit ut iidem tum ab Suis, ſive invidis, ſive ſciolis, eadem in arte Sociis; tum a cæteris pæne omnibus Morta-

libus, vel plebeis, vel etiam Literatis, utriſque tamen Rei medicæ æque rudibus; quotidie laceſcantur, excipiantur calumniis, condemnenturque: immo ut Sagis, Aniculis, Circumſcriptoribus quibuſcumque, laudis ſæpe plus deferri, plus etiam fidei, quam Medicis, *ſoleat adhiberi: in mentem quandoque venit magni* Franciſci de Verulamio, Vice-comitis S. Albani, Angliæque Regni ſub Carolo ſecundo Cancellarii, *hac de re Sententia*, Libr. IV. de augm. ſcientiar. „ *Ex hoc dic ſodes, inquit,* „ *quid ſequitur? Nempe ut* „ *Medici ita ſecum, quemad-*

„ *mo-*

„ *modum Salomon in re gra-*
„ *viore*: Si unus, & Stulti,
„ & meus, eventus erit,
„ quid mihi prodeſt quod ma-
„ jorem Sapientiæ dedi ope-
„ ram? Eccl. cap. 2. " *Suſ-*
picaturque egregius Autor hinc
proficiſci, ut plures Medicos
aliis in artibus atque ſcientiis
invenias excellentes, qui iidem
magna eruditione in Profeſſio-
ne propria non clueant. Id-
que haud aliam ob cauſam,
quam „ *quod arbitrentur parum*
„ *ipſis intereſſe, vel ad exiſti-*
„ *mationem, vel ad lucrum,*
„ *utrum Artis ſuæ mediocrita-*
„ *tem, an perfectionem in ea*
„ *majorem, aſſequantur. Mor-*

 „ *bi*

„ *bi enim tœdia, Vitæ dulce-*
„ *do, Spei fallacia, & Ami-*
„ *corum commendatio, efficiunt*
„ *ut homines facile in Medi-*
„ *cis qualibuſcumque fiduciam*
„ *collocent, &c.* " *Talem pro-*
fecto, Vir Celeberrime, *co-*
gitationem arbitror abjectos
ſubire animos illorum poſſe, qui
Officium Medici, atque Digni-
tatem, metiri ſoleant fama,
honore, pecuniis; eorum vero,
quos recta Ratio, maxime au-
tem quos Religio gubernet,
nequaquam. Hæc quippe docet
nos, hæc nos cogit, animo
longe alio Medicorum officium
intueri: Eſſe ſcilicet eos a DI-
VINA PROVIDENTIA *eo*

de-

deſtinatos, ut quæcumque Vitæ humanæ in Sanitate tuendæ, labentique reſarciendæ, quondam ſint prodeſſe viſa, hæc illi, qua ſedulitate, atque accuratione, & poſſint, & debeant, cognoſcere ſtudeant, ſatagantque intelligere: quæ vero obſcura, quæve prorſus latitent abſcondita, hæc eadem eruere e tenebris, ac memoriæ prodere, quovis molimine pertentent. Lege porro inviolabili eoſdem, id ut aſſequantur, teneri. Futurum etenim diem, cum SUPREMUS JUDEX, quæ Cuique commiſerit, confiſuſque Talenta ſit, cum fœnore ſit repetiturus. Quæ quidem attenta

qui

qui mente conſiderat, næ ille, Optime Van Svvieten, *tum generoſe, tum alacriter, ſtudio incumbet medico. Te ſane hoc incedentem tramite video nocturno diurnoque labore in publica Languentis orbis commoda indefeſſe incumbentem, ætatem conſumentem, vireſque. Hac eadem via omnibus pergendum, quibus & Hominis, & Hominis Chriſtiani, verſetur in pectore animus. Conamen igitur hocce meum cum arduum, tum forſitan temerarium, æqui velis bonique conſulere; quod eodem formatum principio, eodem confectum animo ſit. Morbum rariorem quidem olim,*

nnnc autem frequentiorem ob-ſervaveram , deſcriptum vere medice quod ſciam, a nemine, a nemine communicatum. Mea-rum proinde partium evulgare, quæ de Œſophagæis morbis obſervaſſem, arbitratus, paucula hæc Sapientioribus, ac præpri-mis Tibi, *emendanda, & au-genda, & perpolienda offerre, dicare , conſecrare , decrevi . Atque hac ratione fatebere me morem geſſiſſe ſalutari ejuſdem* Verulamii *monito, quo Meden-tes* Libr. cit. *perſtringat acer-rime .* „ *In inquiſitione , ait,* „ *illorum de morbis, inveniunt* „ *morbos complures, quos* in-„ ſanabiles *decernunt , alios* „ *jam*

„ *jam inde a principio Mor-*
„ *borum, alios poſt talem*
„ *quampiam periodum. Ita ut*
„ *L. yllæ, & Trium-Virorum*
„ *Proſcriptiones res nihili fue-*
„ *rint, præ Medicorum Pro-*
„ *ſcriptionibus, per quas tot*
„ *homines iniquiſſimis edictis*
„ *morti dedunt. Quorum tamen*
„ *plurimi minore cum difficul-*
„ *tate evadunt, quam illi olim,*
„ *inter Proſcriptiones Roma-*
„ *nas. Neque igitur dubitabo*
„ *inter* Deſiderata *reponere*
„ *opus aliquod* de Curationi-
„ bus morborum, *qui haben-*
„ *tur* pro Inſanabilibus, *ut*
„ *evocentur & excitentur Me-*
„ *dici aliqui egregii, & ma-*

„ *gna-*

„ *gnanimi, qui huic operi,*
„ *quantum largitur natura re-*
„ *rum, incumbant; quando hoc*
„ *ipſum*, Iſtos morbos pro-
„ nuntiare inſanabiles, *ne-*
„ *glectum & incuriam veluti*
„ *Lege ſanciat, & ignoran-*
„ *tiam ab infamia eximat.*

Benigno igitur, Vir Celeberrime, Amicorum Integerrime, *quod facere ſoles, animo, haſce accipias, inſpiciaſque pagellas; quas cum percepero haud plane indignas* Tibi *videri, deinceps de quibuſdam peculiaribus Abdominis morbis, vitam* DEO *vireſque largiente, augere audebo. Vale eruditorum Decus, honor Artis, &*

Or-

Ornamentum; meque, quod facis abunde, tuo & amore proſequere, & favore! Vale!

Dabam Hagæ-Batavorum 24. *Octobris* 1750.

DIS-

DISSERTATIO

DE IMPEDITA

Vel Deglutitione, vel Deglutitorum in cavum Ventriculi Deſcenſu

PROŒMIUM.

Morbi Œſophagi cum minus diſtinctè ab Autoribus medicis deſcripti, novique ac plane inſoliti ſubinde illi, vix perſpecti habeantur, in animum induxi obſcurum hoc, atque inſuetum morborum genus, paucis tractare.

Creberrimus eſt, teterrimuſque ſimul, atque etiam Natura diu latens & Cauſa, de quo acturus ſum, morbus; ingentes adducens miſerias, perdiuturnus, mortem miſerrimam inferens.

Creberrimum ajo, quod hodie vim hominum ſoleat innumerabilem proſternere; horrendum itidem ac teterrimum, quippe qui variæ cala-

calamitatis, doloris & ſævi & frequentis, vixque tolerandæ anxietatis fœcundus, tandem veris *Tantali* pœnis enecet homines. Verum ſimul diu latentem dico natura, cauſaque: ſiquidem in principio aliorum morborum ſpecie fallens, vix niſi adoleverit, curamque reſpuat, internoſcitur; notione autem vaga admodum nobis cognitus, ignoratur fere quoad Cauſam, unde proficiſcatur, quoad Naturam, qua conſtet.

Rarior Cadaverum inſpectio hoc morbo denatorum effecit, ut quæ intellectu difficilis per ſeſe Morbus eſſet, obſcuriore loco demerſus hæreret: quam veram nihilominus, quam certam, quamque unicam viam eſſe, qua poſſet detegi, intelligi cauſis, apte curari, affirmare auſim. Idcirco captans occaſiones quaſcunque, eaſdemque fortunatas nonnunquam adeptus, in Cadaveribus cauſam rimatus ſum: quam in variis variam, in nonnullis ſingularem, in multis multiplicem, tum in his ſecandis cadaveribus, tum etiam in recentium auctorum perſcrutandis monumentis, inveni, eſaminavi, adnotavi.

Porro qui inchoet Morbus; quibuſque innoteſcat Phænomenis; quomodo creſcat, perennet, extinguat: erit primo dicendum: deinceps quæ ex inſpectis didicerimus cadaveribus: tum adornanda erit Expoſitio, quæ caſte, & quoad ejus fieri poſſit, perſpicue, accurateque,

teque, Cauſarum atque Symptomatum rationem doceat: apta demum curandi inquirenda Methodus. Porro quo poſſit Morbus accuratius diſtingui ab aliis quibuſdam Morbis, qui ſpeciem præ ſeſe gerant eandem, cauſam diverſam habeant, eoſdem breviter, quoad ejus facere poſſum, recenſebo. Neve multa verborum ambage tœdioſus ſim, trita impeditæ Deglutitionis voce morbum appellabo: quamvis haud pauci ſunt, qui facile deglutiant; potiſſimumque difficultate deglutita in Ventriculum protrudendi laborent.

C A P U T I.

Hiſtoria morbi.

QUos invadere homines morbus infit, hi deglutientes levem percipere ſeſe tranſeuntibus deglutitis ſolidioribus obicem, ſenſim moleſtiorem, progreſſu temporis dolentem, conqueruntur. Quem equidem dolorem, quieſcente aliquantiſper gula, ſilentem affirmant; moleſtiam minime. Sedem mali alii ſuperiorem Œſophagi regionem indigitant, mediam alii, nonnulli inferiorem. Quin ipſum pati Ventriculum, quandiu is in digerendo ſit, quibuſdam contingit. Progrediente malo ab alimento molliore, tandem & ab ipſis liquidis, eodem prorſus modo afficiuntur. Suntque, quos inanis Ventriculi atque Œſophagi, an-

xius quidem, ſed levior, dolor occupet; repleti, gravior. Nec defuere omnino, qui liquida ægerrime, ſolida commode, tranſmitterent. Pleriſque inſipidæ Lymphæ copia ingens e gula in os adſcendit, ore elabitur: præcordiis, tunc temporis, debilibus, &, ut ipſi ajunt, algentibus. Omnibus autem Flatuum vis magna, vacuo Ventriculo frequenter, in ipſo deglutitionis actu continuo, gutture exploditur: quibus commode emiſſis, leve ſolamen miſeri percipiunt; non, æggerrimeve exploſis, validas anxietates. At vero, quod mireris, eveniunt intervalla pluribus lætiſſima, ut totum fere exulaſſe malum autument: vix paucis tamen perdurantia diebus; quin imo mox evanida, ubi Ovantes fere ægri, grato ac duriore alimento expleverint ſe: Nonnullis vero vix tantilla obſervatur intercapedo Calamitatum. Capit malum in dies augmentum, marcore Corpus evaneſcit, vitæ tædium ſubnaſcitur, quod quævis hauriendi abliguriendique fervente acti deſiderio, ſumere eadem propter impeditam deglutiendi nequeunt functionem. Nec jam, ut ſuperiore tempore, limpida eructatur aqua, ſed ſpiſſior materies, lentiorque & tenacior, ſubinde fœtida, ſcreatu frequenti, deglutitioni individuo potiſſimum comite, e gula in Os ipſum expreſſa. Laborant in viis primis acido plerique manifeſto; quibus tamen ipſis in rancorem oleoſa, alcaleſcentia in putridam na-

turam

turam ſæpe verti obſervantur. His ærumnis nonnulli tribus annis quatuorve, alii ſeſquianno, alii anni integri, quidam paucorum menſium ſpatio, fatigati, cedunt fatis.

Obſcuriorem autem natura Morbum cum dixerim eſſe, variaſque, unde proficiſcatur, cauſas habere; medicam ægrorum hiſtoriam, eorundemque mortuorum anatomen, quæ id, quod dixi, demonſtrent, ordine recenſebo.

CASUS PRIMUS.

Hiſtoria morbi variis caſibus aſſerta.

Quinquagenariæ mulieri peſſimo, eoque lento, ſcorbuto affectæ, fluxu menſtruo a longa die carenti, cœpit minui appetitus; ſpaſmi circum præcordia, flatus moleſti, iique frequentes, adeſſe; angi fauces, in œſophago morari clavicularum altitudine deglutita; limpidior latex ipſi, maxime jejunæ, ex Ventriculo in Os eructari; alvus tarda eſſe; præcordiorum anxietates percipi, ſævique dolores; vires collabi, totum contrahere corpus marcorem. Limpidæ fluori ſucceſſit deinceps frequens glutinoſæ materiei ſcreatus, copia in dies vique auctior. Tum laborioſa admodum, maxime ſolidorum, deglutitio, eaque haud expers doloris. Mitius quandoque affligentes hæ tantæ ærumnæ, imo fere integræ ſilentes, incredibile dictu quam ſubito ferocirent, vi auctæ ac diu-

turnitate! Febre tandem correpta mulier, vigiliis defatigata, nec niſi Collo primum erecto, capite dein retroacto, deglutire valens, miſerrime interiit; decem ferme menſium ſpatio cum tantis miſeriis colluctata.

Inſpectum Cadaver teterrima mephiti infectum, exhibuit ſitum Ventriculi perpendicularem fere, dexteriore ſua parte pollicem latum infra umbilicum propulſi, materie flatulenta, utroque conſtricto ore, pleni Superiori autem ori circumfuſa deprehendi dura, numero plura, corpora, mole fabas æquantia majores.

Hepatis ſolito majoris lobus quiſque tenuata parte ſua ſubalbicantem duritiem, aureo quem vocant, nummo, magnitudine parem, habuit.

Pancreas inveni naturali magnitudine octuplo circiter majus, totum quantum ſcirrhoſum; naturale domicilium Ventriculi, ſua de ſede pulſi, a poſteriore, a ſuperiore, atque a laterali dextra parte explens adamuſſim. Meſenterium ſcirrhulis hordei grano paulo majoribus refertum.

Glandulæ binæ Œſophagi mediæ prope longitudini appoſitæ, duræ deprehenſæ omnino: duræ itidem Aorta, Carotides, Subclaviæ arteriæ, propemodumque calloſæ.

Lævus Pulmo parvus, lividus totus, mollis, dexter durus, parvus, membranæ coſtas ve-

ſtien-

ſtienti, eique denſæ omnino ac duræ, totus longe lateque accretus.

Œſophagus mox infra claviculas craſſus vehementer, durus, amplus, formam ſacci habens.

CASUS ALTER.

Fœmina 65. annos nata, macilentiſſima, linteis indumentis tractandis atque perpoliendis victum quæritans, Leipothymia cœpit frequenti affligi; citra tamen vel cordis palpitationes, vel flatus, vel borborygmos. Seſquianni deinceps emenſa ſpatium, deglutiendi animadvertit levia, creſcentia ſenſim, impedimenta; quibus curandis optimorum experta eſt inutilem medicaminum uſum. Mirum profecto, qui deglutiret, videre erat. Caput quippe cum primo erexiſſet, mox ultimo deglutiendi actu retro agebat: immota tunc hærens, ingratum ſonum pectore edebat, monſtrabat, anxietates, quodque deglutierat liquidi pauxillum, mox totum fere rejecit. Haud æque tamen grave, haud æque pertinax malum, quovis tempore tulit: eſt enim viſa tum expeditius per intervalla deglutiens, tum facilius retinens degluta. Verum, ut caſu præcedenti, poſt fallaciſſima gaudia ad luctus prioribus graviores mox reditum eſt: donec tandem inſtar ſceleti emaciata, genis

 utrin-

utrinque vehementer inflammatis, expiraret.

In Cadavere luſtrando, expertiſſimo & conjunctiſſimo Collega V. adjutore uſus, inveni caput laryngis tantillum eminens; ſeri collectionem ſub maxilla inferiore in celluloſa membrana; glandulas ſub maxillares, glandulas venis jugularibus internis confertim adjacentes, ſcirrhoſas; Thyroidæam glandulam permagnam, poſteriora verſus, utroque in latere inſigniter tumentem, cujus e medio portio tenuis anteriorem ſcutiformis cartilaginis partem conſcendens. in Hydatidem ovalem deſineret. Hac porro Hydatis a media dictæ cartilaginis regione incipiens, in ejuſdem crena ſuperiore excipiebatur, & ſub baſi oſſis yoidis penetrans, inferiori linguæ ſubſtantiæ annectebatur. Velum pendulum palatinum & Columella admodum inflammata erant. Turgidus aere Ventriculus hinc inde dire inflammatus.

Supra aſperæ arteriæ dichotomiam, Œſophagum inter & Aſperam arteriam, ſcirrhus deprehenſus denſiſſimus eſt, ſolidiſſimus, duriſſimus, nucis moſchatæ fere æquans molem; Œſophago quidem laxius, aſperæ autem arteriæ lateri dextro arctius adhærens; circa confinium extremorum annulorum, & membranæ eorundem annulorum ſupplentis defectum. In Pulmone lividæ maculæ quam plurimæ. Ecchymoſes hinc inde repertæ. Pericardium latice cruento expanſum. Auricula cordis dex-

tra,

tra, nec non Vena cava inferior, grumoſo atro ſangnine refertæ viſæ ſunt. Magnus, idemque craſſus, albicans, Polypus in Angulo dicto Arteriæ magnæ. In Cordis pariete dextro inventum corpus durum, ſcabrum, foras eminens, & communi Cordis membrana veſtitum, intriſecus inter carneas columnas elevatum, nucem avellanam magnum, albicans, cartilagineæ duritiei. In arteriæ Coronariæ cordis ramo principe verum deteximus oſſiculum, covexum, extenuatum idem & compactiſſimum, extremo ſuo Arteriæ inſertum lateri, reliquo vero corpore ſuo in vaſis cavo nudum hærens.

Ren ſiniſter duriſſimus, inflammatus, externe exiguum exhibens abſceſſum.

CASUS TERTIUS.

Ultra 50. natus annos homo, cum ſpiritibus Vegetabilium fermentatione & deſtillatione productis abuſus eſſet, in acutum cum delirio morbum incidit: ex quo ægre emergens, deinceps abſtemius vixit. Nihilominus advertere & conqueri cæpit, Deglutitione rite ore peracta faucibuſque, quæ deglutita eſſent prope ſummum ſternum hærere, angere, indeque poſt puſillum temporis oborta nauſea ac tuſſi eructari; una cum incredibili tenacis materiæ copia. Præterea de continuo ac ve-

hementi Epigaſtrii dolore, ſummaque anxietate, lamentabiles edidit querelas. Quæ omnia incommoda concomitata eſt inanis Tuſſis, ſicca, delaſſans, frequentiſſima. Manſuetior ſubinde morbus, multo mox crudelior, trimeſtri vix exacto ſpatio, de medio hominem tulit.

Cadaver una mecum Collega S. aperuit. Deprehendimus anteriorem Hepatis lobum, prope Ventriculum, materie purulenta paſſim collecta diviſum; Ventriculum naturalis capacitatis, pœne vacuum; Pancreas durum utcumque, non dicendum examuſſim ſcirrhoſum. Atque hæc in Abdomine. Ablato prudenter ſterno Pulmo dexter deprehenſus eſt inferiore quidem parte conſumtus, corruptus, ſanioſus; ſuperiore autem integre ſcirrhoſus: viſuſque eſt eadem ſcirrhoſa portione Œſophagum ſiniſtrorſum protruſiſſe, ſupraque eundem Œſophagum in lævum pectoris cavum protentus, membranæ ibidem Coſtas veſtienti circumquaque accreviſſe. Qui ſiniſtrum hoc cavum explebat Pulmo, ſanum hunc, eundemque mollem, atque magnum, invenimus. Ipſe autem ſupra hanc expoſitam mox compreſſionem Œſophagus in ſaccum degeneraſſe, naturali capacitate duplo ampliorem, infra autem Compreſſionem ſolito anguſtior viſus eſt nobis.

CA-

CASUS QUARTUS.

Propriis obſervatis meis nonnullas veſum eſt affines adnectere hiſtorias: ac primam quidem ex *Act. Edimb.* Part. III. art. XXVII.

Faber Lignarius 36. annos natus torqueri ſeſe conqueritur dolore Cordis, Cordis ſcrobiculi, Laterum utrorumque, Regionisque interſcapularis, ingenti quoque difficultate deglutiendi, atque nauſea: ærumnas has, elapſo abhinc ſexennii ſpatio ſuperveniſſe ingenti Cordis cum dolori, tum palpitationi, nec opinata mœſtitia oriundis.

Variis Artis auxiliis æger incaſſum uſus, tumorem tandem durum, dolentem, mox infra xyphoidem cartilaginem locatum, proximeque prægreſſa nocte ſibi animadverſum, Medentibus moſtrat. Qui tumor in abſceſſum tranſiturus cum videretur, aptis ad id remediis tentatus fruſtra fuit. Nam vomitus ſubſequebatur, arte nulla ſiſtendus, tum ſupremo vitæ menſe Orthopnœa, ſingultus demum, & Mors.

Medicus *Abernethy*, & Chirurgus *Jamieſon*, inciderunt Cadaver. Invenerunt ſteatomatoſum Corpus informe, atque ingens, refertum paſſim Cellulis, quas tum melicerоſa expleret, tum atheromatoſa, materies. Viderunt idem hocce Corpus partem occupaſſe Thoracis maximam, Pleuræ ſic dictæ membranæ conna-

tum

tum utrinque, potiorique tum Mediaſtini, tum Pericardii, portioni accreviſſe: comitans deinceps Œſophagum, eundemque premens, Diaphragma cum eodem penetraſſe; Pylorum ipſum, juxta Ventriculi dorſum, complexum; amboque nobiliſſimi Viſceris ora hac ratione coarctaſſe.

CASUS QUINTUS.

F. Pringle Medicus hiſtoriam notabilem cum eadem Societate communicavit. *Act. Edimb.* part. II. obs. XXIV. Vir generoſus flore gaudens ætatis, cum Majo menſe anni 1712. perbacchatus eſſet, ejusmodi vomitu corripitur, ut quæcumque ediſſet bibiſſetve, mox citra nauſeas, citra laborem, evomeret. Malum ad quævis remedia rebelle excipiunt diſpendium virium, macies, frigus, maraſmus obtabilisque ærumnarum terminus, mors.

Aperto Cadavere Corpus durum, glanduloſum, in Canali œſophagæo invenitur, orſum a media Canalis longitudine, ad uſque Ventriculum protentum, ejuſdemque os ſuperius tam arcte comprimens, ut ſpecillum per illud vix poſſet penetrare ſeſe in Ventriculi cavum.

CASUS SEXTUS.

34. Annorum Vir, macilentus, cætera ſanus, dolorem anni ab illinc ſpatio ortum, reducem ſæpe, indicat ſub Enſiforme Cartilagine. Conqueritur ſe toto illo tempore diſſolute viventem, appetitum amiſiſſe: cujus reſtaurandi ſcopo cum integro fere menſe calidiſſimis eſſet remediis uſus, toroſitatis ſeſe, & virium, & coloris, feciſſe jacturam. Validum præterea exantlaſſe laborem in deglutiendis ſolidis: quæ quidem gulam commode tranſirent, ſed propter affectum locum paterentur repulſam, doloremque tranſitura vehementem concitarent: deglutitam imo offam ſæpe violenter ab hoc obice in guttur projici: compelli hinc ſeſe, ut deglutita una cum magna pituitæ copia vomitu ejiceret: ſin autem prudenter liquida hauriret, plerumque hac difficullate immunem eſſe: cæterum moleſto ceu Cingulo in Epigaſtrica regione ſe ſibi circumcingi videri. Nullam tamen vim externam, quæ moleſtiam hanc illumque dolorem creare poſſet, prægreſſam eſſe. Atque hæc quidem ille. Qua autem cumque ratione eum Medicus exploraret, nec tumorem hic tangendo animadvertit, nec auctum ille dolorem.

Quapropter Medicus Morbum Nervorum eſſe arbitratus, primas vias Emetico expediundi, roborantibus deinde, atque antihyſtericis externe

terne interneque exhibitis, nervos roborandi, periculum fecit. At, his effectu cauſſis, Nephritis violenta ſucceſſit, quibuſvis Artis auxiliis immorigera, tantummodo micto Calculo ſilens.

In opem mutuam vocato Medico *Princle*, Flores ſulphuris cum lacte quotidie exhibiti ſunt; pilulæ paratæ e ſapone, gummi variis, peruviano balſamo, diu uſurpatæ multumque. At vero ut prior labor, ita & inanis poſterior. Id modo eo tempore mutatum videbatur, quod conſtanti lege offam rejiceret, ſi eam cum liquido una deglutiret; ſi ſolam, & liquidum pohac, retineret. Equitatio, Æthiops mineralis, Pareiræ bravæ apozema, Martis parata cum vino Rhenano Tinctura, optato carent ſucceſſu. Animadverſi jam ſub auroram ſudores. Fruſta Piſtachiorum inſtar bina, una cum hauſtis alimentis, vomitu reddidit, quibus per totos quaternos dies pectoris ſucceſſit dolor acutus: Hoc ſæviente, Aquacalcis cum lacte, & Electuarium molle conſolidans, data ſunt. Quintodecimo deinceps die fruſtum vomitu ejecit tertio, dolore eo, qui prioribus binis ejectis ſævierat, abſente; abſentibus iis qui ſub auroram comparuerant, ſudoribus. Jam præter lacteam diætam reliquis viſum fuit remediis ſuperſedere, & modicas corporis ſuadere Exercitationes. Quod vero fortaſſe paradoxon; hac tempeſtate Carnes albas conſueto liquidio-

re

re nutrimento ſibi convenientiores eſſe expertus eſt. Priores autem miſerias exceperunt levior Nephritidis Paroxyſmus, perpetua hypochondrii ſiniſtri durities, Diarrhæa alba, non ſiſtenda, vires dejiciens omnes: donec tandem poſt 8. vel plurium menſium ſuſtentatos & Morbi, & Artis, labores, mente compos, terrenæ habitationi valediceret.

Aperuerunt Corpus egregii hi Viri; quos præterquam alii, etiam clariſſ. Profeſſor *Monro* comitatus eſt: cujus Anatomes en hiſtoriam.

Omentum brevius toto inferiore ſuo margine, in latitudine omnis inferioris epigaſtricæ Regionis, cum Peritonæo concrevit; cætera tenue, accretionis autem loco durum admodum, ſcirrhoſum: neque cum uno Peritonæo, verum itidem hinc illinc cum Inteſtinis, cum Jecinore, cum Splene, cum Ventriculo, cohæreſcens, eadem ibidem phænomena exhibuit. Ita ut hujus concretionis effectu Jecur & Lien cum Ventriculo cohærerent quam arctiſſime. Exiguis, iiſdemque albis, tuberculis, Jecoris, Lienis, ventriculi, ſcatebant ſuperficies. Quantum Viſcera eo in ſitu conſpicere dabatur, recte habere viſus Ventriculus eſt; tantum quod dorſo ſuo cum Diaphragmate ubique firmiter cohæret, idque ope ſubſtantiæ ſcirrhoſæ, ei, quam in Omenti Cohæſionibus viderant, quam ſimillimæ.

Inteſtina leviter aliquot locis inflammata cum Peritonæo & arctius ſolito, & crebrius, con-

connexa. Nil aut in Veſica calculi, aut in Renibus, (id quod indubitatè expectabatur) inventum. Viſcera abdominis cœteroqui eſſe.

Thoracis aperti utroque ex Cavo exemerunt aquæ rubellæ tantillum. Sanus conſpectus Pulmonum: tantum modo Siniſtri inferior Lobus arcte coibat cum Septo medio: quo equidem in loco poſt ſeparationem abſceſſus comparuit, tum fuſco atque ſpiſſo humore, tum pure, plenus. Qui in Pulmone abſceſſus erat, is binarum vix unciarum capax, at vero ſeſe per Diaphragma penetrans, Tunicas ipſas Ventriculi cum Diaphragmate coalitas tam late perforavit, ut pollicem admitteret apertura.

Œſophagus ſanus totus uſque ad binorum pollicum a Ventriculo diſtantiam; quo in loco in albam degeneraſſet, denſam, ſcirrhoſamque, ſubſtantiam: in qua ipſa multi, atque magni abſceſſus comperiebantur, in hunc eundem Canalem pervii. Os ſuperius Ventriculi, ejuſdemque ſcirrhoſa compages, ad aliquot exinde pollicum, interiora verſus, diſtantiam, faciem præ ſeſe tulerunt eandem. Concluſere Medici, Vago pari hic compreſſo, inſenſilem adeo redditum fuiſſe Ventriculum, ut inde nec efficaciſſimis remediis moveretur.

Ad Dichotomiam Aſperæ arteriæ glandulæ repertæ ſunt materia ſpongioſa partim, partim lapidea, gravidæ, quas nigra involveret firmiſſima membrana.

CA-

CASUS SEPTIMUS.

Dionyſius vander Sterre, Med. Batavus, *Tract. de Praxi Medicinæ medico-chirurgicæ*, Edit. *Amſtelod.* an. 1678. deſcribit hiſtoriam uxoris Zytopolæ, cui deglutiendi facultas ſenſim imminuta eſſet. Hanc multorum opem nequicquam expertam, tandem ad ſeſe petituram auxilium acceſſiſſe. Nullo autem modo cum ipſam levaſſet, miſiſſe ſe eam ad Medicos Amſtelodamenſes famoſiores: quippe ejuſdem ſe fauces conſpexiſſe multo anguſtiores, digitoque immiſſo ſuperiorem Œſophagi partem indurari deprehendiſſe: eam tamen horum Virorum ope fruſtra uſam, vita functam eſſe.

Porro ſubjungit morbum exiſtimaſſe ſe ſemper arte majorem; eo quod in quatuor hominibus mortem quovis molimine adhibito inevitabilem obſervaſſet: uniuſque denati examine deprehendiſſet Œſephagum interiorem ſicca, cartilaginea, imo lapidea fere duritie, incruſtatum.

CASUS OCTAVUS.

F. Platerus in obſerv. Cap. *De tranſitus per gulam defectu*, hunc ipſum morbum deſcribit. Figulum ſuum, ait, ubi eo per Quinquennium laboraſſet, in animum induxiſſe, forte ut Acidularum naturalium uſu ſaneſceret:

eum

eum vero, dum ipſo in loco iiſdem uteretur, mortem oppetiviſſe. Torqueri eodem morbo ſcrinarium, eodem interiiſſe Centurionis uxorem, uxoremque Aurifabri. Alium Lucernæ annum jam laborantem eſſe: cui, cum Œſophagi fabricam rigidiorem exiſtimaret, ſolis emollientibus & demulcentibus medicinam faceret.

CASUS NONUS.

Apud *Hildanum* Obſ. 34. Cent. 4. habetur Hiſtoria hominis, deglutitione ſolidorum recte, liquidorum ægre perfungentis: malum id, ſcribit Hildanus, Catarrhum, ac ſiniſtri lateris paralyſin, ſubſequutum eſſe. Homo debilitabatur, ejus ſententia, quod ſolidis minus debito nutriretur, liquidis nutriri non poſſet. Quare ſolidis dilutioribus, ſpiſſioribusve liquidis nutrire hominem conatus, malum quadantenus, emendaſſe ſe teſtatur: Redeuntibus vero cum Catarrho, tum lateris lævi paralyſi, ægrum præter ſolida nil deglutire valentem, & liquidorum defectu, & aliis malis, conſumtum, diem obiiſſe.

CASUS DECIMUS.

Memoriæ dictæ Academ. Reg: Chir. Gall. ex *Boneto* & *Miſcell: Nat: Curioſ. ann.* 1613. dignam

gnam afferunt, quæ notetur, Hiſtoriam. Scilicet *Sampſonium* fœminæ laborioſa deglutitione laboranti, cauſæ indagandæ gratia, ſpongiam oſſiculo Balenæ flexili alligatam in fauces intruſiſſe, invincibile vero inveniſſe obſtaculum. Eum dein, inedia enectæ cadaver examinantem, deteſſe integrum Œſophagum cartilagineum, coarctatumque eum in modum, ut vix ſetam porcinam caperet. Atque hoc totum, quod egregio illo opere gallico ſuper hoc morbo notetur.

CASUS UNDECIMUS.

Ampl. Tulpius Lib. I. obſ. cap. 44. „ Viduæ cujuſdam, inquit, Naupegi, ſuccrevit
„ paulatim ex deſtillatione, humilis, ac latus
„ tumor, inſidens firmiter lateri aſperæ arte-
„ riæ, paulum ſupra jugulum. Hinc impediri
„ evidenter ſpiritus, & tandem tantopere de-
„ glutitiones: ut circa ſummum tumoris in-
„ crementum vix quicquam amplius traſmiſe-
„ rit gula; niſi forte exiguas aliquas lactis
„ vaccini guttulas: quarum ope nequaquam
„ ubi reſtaurarentur debite vires majoris opis
„ indigæ, emarcuit neceſſario corpus; & ex-
„ ceſſit ipſa non invita e vita.

Diſſecto Cadavere invenit *Tulpius* Tumorem lateri Aſperæ arteriæ adnatum, lædentem reſpirationem, Œſophagum tam arcte compri-

 men-

mentem, ut ejuſdem complicarentur tunicæ, perque emiſſa filamenta viam verſus inferiora penitus occluderent. Tum & dorſales glandulas tumidiſſimas Œſophagi cavum plurimum coarctantes.

CASUS DUODECIMUS, &c.

Optimus *Bonetus* in opere incomparabili dicto *Sepulcreto*, &c. Libr. III. idem malum ſcribit ortum obſerv. 22. ab Ventriculi ore ſcirroſo: a tuberculo cancroſo mediæ Œſophagi parti adhærente, obſerv. 2. a caruncula poſt curatum ulcus venereum enata, deglutitionem impediente, auferente, obſ. 12. ab exſiccatione poſt febrim ardentem obſ. 14. Ab inflammatione gulæ, præ violenta ejuſdem agitatione, qua imprudenter oſſiculum, quod ibidem hærere putabatur, nec hærebat tamen, axtrahere, propellereve ſatagerent, obſerv. 15. Tandem ab innata adipe, obſ. 4.

Variorum hujuſmodi ægrorum Diaria ſubjungere hiſce permulta poſſem; verum cum eadem referant, quæ ſuperiores narrationes, eaque Cadaverum ſectione confirmari non potuerint, inani Recitationi ſuperſedere malim.

CAPUT II.

De cauſa proxima.

HUcuſque qui naſcatur morbus, quo ordine creſcat, qua furat atrocia, quo fine terminetur, expoſui. Tum quæ læſa viſcera fuerint, quæ de genera, quæ vitioſa, mutila, deſiderata, quæ fabrica mutata locove, ſollers docuit Cadaverum Luſtratio eorum, qui hoc morbo victi ceſſerint fatis. Igitur nunc annitendum eſt, ut veras Artis regulas ſecuti, Proximam mali cauſam definiamus.

Cauſa Proxima ex prioribus elicitur eſſe
„ Glanduloſarum, membranacearumve partium
„ tumor, induratio, ſcirrhus, occupans vel
„ Glandulam Thyroidæam vel Aſperam arteriam, vel Paroditem, vel Œſophagum, vel
„ Glandulas dorſales, vel Ventriculum, vel
„ Pancreas, aliaſve adjacentes partes, imo
„ ipſos Pulmones, vel horum plura ſimul;
„ Cavum Œſophagi, vel Ventriculi, vel
„ utriuſque, comprimens, coarctans, claudens.

Quidquid autem hanc gignere cauſam poteſt, poterit cauſæ propioris munere fungi, eaque ſive diſponens cauſa erit, ſive excitans dicenda.

De Cauſis proegumenis.

Diſponens agnoſcitur, Solidorum vitioſa ſi-

ve Rigiditas, qua tranſitui humorum obſtent; ſive Debilitas, qua exceptos eoſdem minus propellant: tum Fluidorum lentor, inertia, acrimonia. Excitans appellatur quæcumque res lentum illud, atque iners, & acre fluidum, in vaſa perperam affecta adigat, impellat, coacervet, coadunet, ac demum ſtagnare cogat.

Diſponentes Cauſas citatæ hiſtoriæ demonſtraverunt plerumque fuiſſe, 1º. Acrimoniam lentam, acrem, ſcorbuticam, ut in Caſu primo. 2do. Acrimoniam ſpiritibus fermentatione diuturna paratis, deſtillatione in ſummum gradum evectis, natam: quæ ut plurimum habeatur in Vino, antiquiore Cereviſia, ſpiritibus ſtilatitiis. Vid. *Boerhaave Ætiolog. path.* §. 762. Ita ſeſe res habuit in ægro 3. 5. forte 6. „ Acrimonia hæcce producit ſitim, temulentiam, fibrarum Conſtrictionem ſiccam, humorum coagula vix reſolvenda, ſtimulum celerrimum, & citiſſime evaneſcentem, partium Solidarum; hinc ſummam neceſſitatem ſimilis potus aſſiduo auctioris: inde debilitates, flatus, obſtructiones, febres, tumores, Leucophlegmatiam, Hydropes, & ſimilia his mala *Boerh.* ibid.

3^tio^. Forte & mœſtitiam validam. In ægro IV. primo dolor Cordis atque palpitatio inopinata mœſtitia oriebantur, tumque ſequuta eſt, de qua agimus, ægritudo. Etenim quid triſtitiæ mœroreſque malorum gignant, quæ

eo ſa-

eo faciant, adeo nota res eſt, ut minime indigeat explicatione. Unde & *Vita triſtis* a *Boerhaavio* ſcirrhi cauſa audit, aph. §. 485.

4to. Potuum Aſiaticorum fervidas Sorbitiones a ſuperiore ævo Batavis, amabili imprimis Sexui, adeo frequentiſſimo in uſu; nec non pravam quævis alimenta fervide aſſumendi conſuetudinem. Hæc magni *Boerhaavii* ſententia, quam quotannis paragraphum *Inſtit.* 73. explicans, Diſcipulis inculcabat. Horum quippe vis eſt, ut fervide tranſeuntia, gradu ſcilicet caloris eo, quo ſanguis noſter polleat, longe majore, condenſent humores, vaſa ſtringant, criſpent, ſicque obſtructiones in glandulis creent varias, firmas, vixque ſæpe non ſolvendas. Ductus glandularum, quibus illæ paratos a ſeſe humores in Œſophagi cavum inſtillent, cenſemus quoque majore calore conſtringi, criſpari, humoremque hac lege in glandula coacervari, glandulam proinde, quæ ab arterioſo cruore novum continuo liquorem excipiat, tumere, indurari, dirum denique in ſcirrhum degenerem, arctare Œſophagi cavitatem.

De Cauſis procatarcticis.

Cauſæ excitantes videntur ex prægreſſis exemplis fuiſſe variæ; utpote in his, quos ſcorbutus ſuſcipiendo morbo aptos reddidiſſet,

aquoſorum fervidæ ſorbitiones: quos pronos in morbum feciſſet mœror, in iis ſpirituum abuſus: quos Vita diſſolutior eo diſpoſuiſſet, in illis Calidorum, & Aromaticorum, præpoſterus uſus. Unus videatur hanc in rem *Sanctorius*, pulcerrime hæc confirmans, *Sect.* VII. & plurimis Aphoriſmis. Affluxio ſeroſorum humorum & hemiplegia apud Hildanum dubio procul potuere una vice totam deglutiendi vim interimere, fungique ſimul vice cauſæ utriuſque, imo fere ipſius proximæ, videntur poſſe. Verbo innuerim pleraſque tum Diſponentium ad morbum Cauſarum, tum Excitantium, quas *Cap. de ſcirrho Boerhaavius* recenſuerit, huic ipſi malo gignendo aptas natas eſſe.

C A P U T III.

De varia cauſæ proximæ ſede, deque natorum hinc ſymptomatum ratione.

PRoxima morbi cauſam vidimus cap. 10. alia atque alia ſede in variis locatam. Hinc operæ videtur precium, eam accurate indagare in ſingulo quoque caſu, enodareque quæ propria hinc, quæ peculiaria, ſymptomata, inevitabili lege naſcerentur.

In ægrota ergo prima cauſa proxima complicata admodum fuit. Nam œſophagus mox infra claviculas bulbi inſignis faciem ferebat præ ſeſe, vehementerque induruerat. Glan-

dulæ

dulæ dorſales dictæ ſcirrhoſæ fuerunt, eæque tumentes videntur compreſſiſſe œſophagum, ut ſupra compreſſionem in tantam capacitatem degeneraverit. Pancreas molis monſtroſæ, Os ventriculi ſuperius circumcinctum ſcirrhulis, iſque ipſe ſede remotus ſua. Varia ergo Viſcera ſimul cauſa obſedit, quæ cuncta eſſent ad vitam neceſſaria, quæ ad morbum conſtituendum confirmandumque conſpirarent; quæque tamen quodnam eorum primum affectum fuerit, relinquerent ambiguum.

Hac autem Cauſæ ratione cum deſcriptis in Caſu primo obſervationibus collata, de ſymptomatum, quæ hæc paſſa ægra ſit, cauſis, pauca diſſeramus.

Quod limpidus fluor ipſi in os, potiſſimum jejunæ, copioſuſque ſaliret, inde natum arbitror, quod Cœliacæ arteriæ ſanguis ad Pancreas ne flueret impeditus, Ventriculo fuerit copioſior datus. Pancreas quippe præter ramos a Duodena arteria, a Pylorica, a Caſtra-epiploica utraque, & a Meſenterica ſuperiore acceptos; habet arterias ſuas ab arteriæ Coeliacæ ramo ſiniſtro Lienem petituro: Ventriculus, præter alias arterias quas a Caſtro-epiploica dextra, a Pylorica, a Mammaria interna, atque a Diaphragmaticis habet, ab eadem Lienari arteria ibidem loci recipit arteriam Coronariam dictam; & deinde, poſtquam Pancreaticus ramus emiſſus eſt, accipit ab ea-

dem lienari arteria Vaſa brevia arterioſa, ac poſthac iterum, ubi illa Lienaris Caſtro-epiploica ſiniſtra appellatur. Ergo ubi obſtructum Pancreas, ſanguis alioqui Pancreati dandus, jam Ventriculo datur. Ventriculus itaque majorem accepit cruoris illius copiam, unde aliter humor fere ſalivarius ipſa Pancreatis fabrica pararetur; ipſeque hac ratione limpidi liquoris affluentia, ſua propria fabrica de arterioſo ſanguine parati diteſcere intelligitur debuiſſe.

Quin ipſummet adeo magnum Pancreas, functionem ſuam utcumque adhuc obeuns, Duodenum neceſſario anguſtavit, hincque parato a ſeſe liquori in Cauſa fuit cur inferiora ille difficulter, ſuperiora facillime, peteret. Minus vero ſurſum ſaliiſſe onuſto, quam inani Ventriculo, ſponte liquet: tum quod alimenta magnam liquidorum illorum partem ſecum miſcerent; tum quod os Ventriculi poſt aſſumta alimenta exacte clauderetur. De ſuperiore namque Morbi tempore loquor; cum minus impedita, minuſque laborioſa, deglutitio ſolidorum contigeret. Verum appulſu hoc aſſiduo humorum flacceſcere Ventriculum, hebeſcere, ſenſu privari appetitus neceſſe fuit: Debilemque ſic diu redditum, demum a debilitate totum Corpus afficiente omnimoda inertia affectum eſſe. Quid ſi etiam appetitum læſit vitiata Ventriculi figura, ſedes aliena? Etenim

nim Pancreas a principio morbi affectum fuiſſe credibile admodum, adeoque illud mole creſcens Ventriculum ſenſim & ſine ſenſu naturali Sede pepuliſſe; id ſin ita, etiam pancreaticum ſuccum, donec plus minus ſecernebatur, Pylorum ſponte ſubiiſſe, intraſſe Ventriculum.

Hanc autem alienam Ventriculi poſituram (ſi per momentum liceat a tramite deviare) ante biennium mihi videre contigit in Vetula, quam femoralis hernia occiderat. *Acta Edimburg. part. I. Art.* 30. ſimilis rei meminerunt, ortæ ab Omento, quod magnam partem in ſcrotum delapſum Teſticulo firmiter connaſceretur, atque ita Ventriculum ſenſim loco abduceret.

Tardiſſimam alvum miſerrima ſemper conqueſta eſt. Quid mirum? a flaccidis inteſtinis nec ſubacta alimenta nec propulſa, haud aliter fere, atque in inerti lagena, quieverunt; donec purgantium vel enematum irritamenta ſocordium fibrarum vim incitarent in contenta. Demonſtravit autopſia. Quod enim tanto tempore primo tenuioris, deinde ſpiſſioris humoris copia ingens ſuperiora petiiſſet; in cauſa fore rebar, ut ſicciora deprehenſurus inferiora eſſem. At vero horum nihil: e contrario Inteſtina, tenuia præprimis, adeo flaccida deprehendi, adeo vieta, ut in aqua macerata diu, propemodumque tabefacta eſſe, aſſeveraſ-

ſes.

ſes. Tandem penuria alimenti alvum nullam fere eſſe oportuit.

Anxietates præcordiorum eorumque dolores, creavit Pancreatis, creavit moles auctior duriorque Jecinoris, Diaphragma, atque circumjacentia vaſa premens, Nervos comprimens, Viſcus integrum ſua de ſede pellens.

Debilitatem totius corporis ſummam aſſumendi alimenti difficultas, poſtremo incaſſus labor, effecerunt.

Febrim genuit tum eadem cauſa, quæ debilitatem; qua effectum ut veteres humores, novi Chyli admiſtione carentes majorem acrimoniam adipiſcerentur; tum quoque acriorum humorum in paucioribus vaſis liberis rapidior curſus: humorum circuitu tot locis obſtructis intercepto.

Deglutitionis erecto tantum collo perficiundæ cauſam degeneratio, figura, ſedes, Œſophagei Tubi, in cadavere examinatæ, demonſtraverunt. Erat enim anterior Œſophagi pars poſtica tum craſſior, tum interiora verſus longe tumidior. Mento igitur in pectus inclinato, hacque ratione tumore introrſum truſo, obturatum tubum; Capite autem in poſteriora reclinato, ſicque vergente antrorſum tumore, apertum eundem fuiſſe, neceſſe eſt.

In ægrota altera pag. 7. Glandulæ colli permultæ, ipſaque Thyroidæa, tumidæ, infarctæ; Hydatis quoque eum ſita in modum, ut Deglu-

glutitioni nonnihil officeret; Scirrhus denſus, magnus, ſupra Tracheæ Arteriæ dichotomiam Œſophagum premens. Præterea miranda nonnulla in Corde, quæ alio forte, quam huc, ſpectent. Leipothymiæ enim, etiam ante percepta deglutiendi incommoda, fœminam affligentes, & a Cordis tumore, innatoque eidem oſſiculo, & ab aortæ Polypo, videntur duxiſſe originem. Vide *Boerhaave Inſtit.* §. 827. 829. Licet enim haud conveniat omnia, quæ mutata in Cadavere, quæ degenera, quæ aliena reperiantur, pro morborum cauſis aſſignare, quorum ſæpe meri effectus ſint: tamen ſi ea adfuerint ſymptomata, quæ abs tali re, ut a cauſa, aliis in caſibus ſoleant proficiſci, merito eandem videmur allegaſſe ut Cauſam. Cæterum Deglutitio incommoda, laborioſa, difficilis, ac tandem integre impedita, & a coarctatione Œſophagi tumente circumquaque Collo, & a Thlipſi illius œſophagi regionis, in quam durum illud corpuſculum incumbebat, percipitur debuiſſe.

Liberiora intervalla, quibus id miſerorum genus ſæpe gaudent, conciliaverunt huic fœminæ, & glutinoſæ materiæ circa ejuſmodi obſtacula confertiſſimæ ſive abſentia, ſive paucitas; & ſpaſmorum in hiſce morbis frequentium quies; & exhibitorum quandoque Paregoricorum vis. Niſi forſitan alia adhuc ratio ſubſit, ex aliis petita Obſervationibus. Quippe ſcir-

rhos

rhos mammis inſidentes per annos indolentes experimur, donec libere hærent illi, Viteque omnis regimem ſervatur laudabile. At vero hæc vivendi ratio mutetur; morbi irrepant varii, potiſſimum inflammatorii; animi paſſiones excitentur, quæ vel impetum concitatiorem atque acrimoniam, vel lentorem majorem humorum, ſtagnationemque gignant; en miſerabilium mox dolorum querelas! Major ſcilicet humorum impetus reddit turgida, quæ tumorem quondam libere circumcingerent, varii generis vaſa: Nervorum hinc preſſio, vellicatio, & quæ porro miſeriæ inde proficiſcuntur; quæ quidem eo contingunt ferociora, quo generatæ acrimoniæ ſit pejor gradus, motus aucti vis intenſior. Atque e contrario, nata in humoribus cum lentor, tum ſpiſſitudo, intelliguntur facile in patulis atque liberis, quæ ſcirrhos ambiant, vaſis, hebeſcere, ſtagnare, ſcirrhi augere molem, hacque lege immones olim a compreſſione vicinos locos premere, nec non ſenſum excitare doloris, eo quidem atrocioris, quo fuerit acrimonia a ſtagnatione genita major. Mutentur iterum dolores quæ generaſſent Cauſæ, adhibeantur quæ acrimoniam obtundant, obtuſorumque humorum æquabiliorem concilient motum; brevi aliquando priſtinam indolentiam homo conſequitur. Cauſa ergo doloris adeſt, ſed cujus ſopitur ferocia, ſi prudens cautela adhibetur: ſi ne-

ſi negligitur, contra. Dicet quiſpiam ſcirrho externis in locis hærente, fieri hæc poſſe; internis, ubi undique premitur, minime. At vero hominem novi qui trimeſtri plus minus ſpatio nonnunquam dolorum, quos plerumque atrociſſimos pati conſueverat, prorſus degeret expers, idque adhuc haud diu ante obitum, Denati Cadaver incidens, Pancreas ſcirrhoſum Lienis totam ſuperficiem cartilagineam, &c. detexi, debuique concludere ærumnarum præſentem ſemper cauſam, poſſe, dum non irritatur, ſæpe ſilere. Optimus *Baglivius* magis ſtupenda narrat. Bononiæ atque Pataviæ binorum hominum cadavera ſe incidiſſe ſcribit, qui quamvis in omni vita nunquam eſſent Lumborum dolores conqueſti, ingentes tamen Renum calculos cultro offerrent ſecantis. Bagl. prax med. Lib. I. c. 9. Clariſſimus *Herm: Ooſterdyck ſchacht olim in Acad. Leydenſi Med. Pract.* Profeſſor venerandus *in Oratione habita* 8. Febr. 1735. meminit Calculi quatuor unciarum in uretere inventi, Calculi alius unciarum ſeptem in Veſica hærentis; quos homines illi, ut ut ſcabros, citra minifeſtum dolorem, ſaltem citra ullas notabiles querelas, dum viverent, geſtaſſent. Hæc tamen ita ſe habere & ſibi, & pluribus, aperta aſſerit oſtendiſſe cadavera. Sunt equidem inter rariſſima ponenda hæc; at vero id ſaltem, quod quærebamus, docent, poſſe in Corpore humano

no reſidere cauſas ærumnarum , quæ haud æqua vi, haud omni tempore, adfligant.

Quæri autem poteſt cur qui limpidus olim liquor ore exiiſſet, idem in multis deinceps craſſior, imo ſæpe adeo ſpiſſus prodeat, ut niſi ſcreatu laborioſiſſimo atque violento, vix eijciatur? Pag. 28. exponere, unde tenuis illa copioſaque lympha oriretur, conatus ſum. Ergo ubi a Sanguine tenuiora ſeceſſerunt, tota maſſa humorum majorem minoremve nanciſcitur ſpiſſitudinis gradum; nova etiam alimenta glutinoſa circa auguſtias hærentia; ipſum quoque liquidum aſſumtum quod moram trahendo liquidiore parte orbum fiat, gradum ſpiſſitudinis vehementer augent: quam cum ægri percipiunt incommodo ſibi eſſe, magnæque moleſtiæ, totis abradere viribus eijcereque conantur.

In ægro tertio pag. 10. Hepar & ſcirrhoſum fuit, & purulentum. Durius, non perfecte ſcirrhoſum, Pancreas. Pulmo dexter inferiore parte conſumtus, ſuperiore ſcirrhoſa Œſophagum comprimens, viſus eſt. Unde Cauſa morbi ſedem hic totam fere in Pulmone, Œſophagum comprimente, nacta eſt: ſede igitur alia, eadem tamen fuit effectu.

Namque Pulmonis illa ſcirrhoſa portio Œſophagum comprimens, eundemque ſiniſtrorſum tandem propellens, intelligitur deglutionem primo lædere, ac demum intercipere debuiſ-

buiſſe. A continuo deglutiendi conatu ſupra locum Thlipſeos ſacci formam nactus eſt Œſophagus; tum & a naturali partis contractione, dum nulla vis interna tubum extenderet, nulla alimenta ſubſtantiam alerent, admodum inveniebatur coarctatus. Tuſſim a continua corrupti pulmonis dextri irritatione, quam tum acer humor, iſque & purulentus, & ichoroſus, & ſanioſus, tum agitatio continua ſuperioris ſcirrhoſæ partis, inevitabilem facerent, derivavi. Quod immani pectoris inter tuſſiendum dolore fere concideret, adſcripſi tum eidem acri materiei motæ, tum convulſivæ fibrarum corruptiſſimum hunc pulmonem Coſtarum membranæ annectentium contractioni, ac fere lacerationi. Cur ſicca eſſet Tuſſis, pulmone tamen putida ſaburra onuſto, natum intellexi a Pulmonis ejuſdem Bronchiis ſuperiore indurata parte compreſſis, quæ adeo quidem magna eſſet, ut aſperæ arteriæ complures, eoſque inſigniores ramos, imo ramum poſt dichotomiam principem, multum anguſtaret. Unico ergo eoque ſano pulmone, Socii inertis, ut in Renibus ſæpe fit, vices explente, homo hic vitam ærumnoſam diu protraxiſſe viſus eſt. Res exemplo non caret. Annis elapſis ferme duodecim Militem vidi, cum phthiſi pulmonali a longa die luctantem, qui lecto ſurgens, caput genu utrique interponeret, ſicque per vices, citra ullam fere tuſſim, veluti ex lagena effunderet

deret puris dilutioris 4. 5. 6. uncias. Id quod præſens pluries vidi. Hominis mortui cadaver examinans, video dextram Thoracis cavitatem pure diluto albo media parte plenam, Pulmonis vero, præter quaſdam Bronchiorum reliquias ne ullum quidem veſtigium. Ita ut, pure educto, ingens illa cavitas omnis vacua eſſet. Dum me, cum adjuvante Chirurgo accingo, ut quæram qua ratione exeſa illa, ablata, deſiderata bronchia, ac vaſa, ſe reſiduis initiis ſuis habeant cum truncis principibus, en! Stolidum vulgus, rem ſubolfaciens, in clamores effundi, peſſima minari, turbare examen: ut, Cadavere ſordide repoſito, nobis aufugiendum ſit. *Riverius Cent.* 4. *Obſ.* 67. refert, ſolo ſiniſtro, dextro nullo, vixiſſe pulmone hominem: dextro thoracis cavo locatum Ventriculum fuiſſe. Hominem illum vigeſimumquartum ætatis annum attigiſſe, eumque militiam facientem ſat commode vixiſſe: febre autem tertiana in Caſtris contracta, totamque durante æſtatem, laborantem, tandem emetici ex antimonio parati crudeliſſima actione interiiſſe.

In Caſu IV. ſedem cauſa fixit in ingenti ſteatomatoſa maſſa, viſcera nobiliſſima complexa, arctante, premente. Optimi Viri, qui cum *Societate Edimb.* hunc caſum communicaverunt, ultimum modo Ttagœdiæ actum videre, adeoque non potuerunt ætiologiam addere. Id circo ſi fas eſt ægro, in improviſum mœrorem

cau-

cauſam refundenti, adhibere fidem, ſuſpicor ex triſtitiæ & cordis palpitationis effectu omnem œconomiam animalem fuiſſe in hoc homine adeo turbatam, ut in loca non ſua, in vaſa aliena, alieni humores confertim irruerent. Exemplo Omentum ſit; quod egregii hi Viri quavis deſtitutum pinguendine invenerunt, interea dum ejuſdem pinguetudinis vim tantam in Thorace, & Epigaſtrio, offenderent.

In Caſu V. ſolito loco inſedit Cauſa morbi, manifeſtamque ſecum affert explicationem: ut pluribus exponere velle ſit ſupervacaneum.

In Caſu VI. alia omnino cauſæ ratio fuit, eundem tamen, quam in prioribus, morbum producens. Omentum enim hic pluribus in locis ſcirrhoſum, pluribus accretum viſceribus; ita quidem ut hujus accretionis effectu Jecur & Lien cum Ventriculo arcte cohærerent. Cum Diaphragmate cavo Ventriculus ſcirrhoſæ ſubſtantiæ ope coaluit: eidem gibbo cohæſit Pulmo. Abſceſſus ex pulmone per Diaphragma, perque ſcirrhoſam intercapedinem, inventus eſt ipſum penetraſſe Ventriculum. Suntque & Œſophagus, & os Ventriculi ſuperius, ſcirrhoſa viſa, plenaque abſceſſulis.

Cauſæ affligentis primo doloris difficilior indagatio eſt. Verum ſi quemadmodum in Hiſtoria refertur poſt inchoatum dolorem fuiſſe, ita antea vita diſſolutior fuerit, profecto ea-

 dem,

dem, quæ priorum Caſuum, hic obtinet ratio. Hinc percipimus natum in humoribus lentorem, natam acrimoniam, obſtructiones hinc, & ſcirrhos, & dolores, perceptaſque circa præcordia anxietates; hinc obſtructarum partium rore carentium, quo naturaliter madentes a concretione cum vicinis præſervarentur, arctas invicem cohæſiones: hinc etiam ab accretis inter ſeſe Peritonæo Omentoque moleſti quaſi cinguli ſenſum, Epigaſtrium coarctantis & ſtringentis; inde Catharcticorum remediorum, & Roborantium, & Nervis amicorum explicamus inertiam; Sudores a debilitate Solidorum; Fluidorumque tenuitate, poſt projectas vires nata, matutino lecti tepore perceptos; Hinc Fruſtulorum quoque terrepetito vomitu ejectorum geneſin explicandam arbitror, vel a materie deglutita, quæ repulſam ad obicem paſſa, ibidemque retenta, compingeretur; vel a coagulatione quæ lactis acido in Ventriculo preſente facta eſſet; tandem Diarrhæam albæ purulentæ materiei, vere dictam in Arte Colliquantem, haud ſiſtendam, mortemque inevitabilem.

Quantum ad abſceſſum; quæri poteſt qua is cretus, qua auctus ratione fuerit? Id vero Ambiguum. Tum quæ primo abſcederit pars, in ſcirrhum quæ primo mutata, dictu incertum, inutile ſcitu, videtur. Coalita inter ſeſe Viſcera quid vitiorum generent, quantam in-

ducant

ducant rerum mutationem, quamque degenerem faciem, abunde obſervata Anatomicorum demonſtrant, luculenter propria manu factæ Cadaverum ſectiones evincunt.

Quæſtio autem difficilius enodanda videtur, cur homo carnes ſolidas teneriores, quam liquidiora alimenta, nonnunquam commodius deglutiret? Jamque ego fœminam, quæ per vices idem experiatur, curandam habeo. In caſu nono, *Hildani* hiſtoria, eadem eſt obſervatio.

Num quandoque major in affecto loco remora, quam ut leni fluidorum impulſu, guttatim facto, vincatur? eamque remoram offa ſolidior, utpote impulſu validiore appreſſa, vincat? Id vero nonnunquam contingere hanc ob cauſam poſſe inducor fere ut credam, quia virum hoc morbo propemodum enectum ſæpius quæritantem audiverim, quod minores hauſtus, atque ſorbitiones, hærere ſibi in Œſophago, indeque regurgitari experiretur; dum liberaliores hauſtus proclivius deſcenderent.

Collegium *Acad. Leopold. Nat. cur. Vratisl.* in *Hiſtoria Morborum Vratislavienſium annor.* 1719-1722. *pag.* 326. nonnulla quæ læſam Deglutitionem ſpectent, habet; ſimulque nonnihil, quod obiter tangat, quam agitamus, quæſtionem. Quippe deſcribitur læſa Deglutitio vel ab ipſius Œſophagi Paralyſi nata; vel talis, quæ a ſpaſmis orta ſit; vel denique eiuſ-

modi, quæ tranſitum concedat ſolidis, fluidis neget. Cujus dicitur cauſa eſſe natum quoddam in Epiglottide vitium, aſperæ arteriæ rimam minus accurate tegente: unde quod deglutienda ſolida Epiglottidem ad trachœæ aperturam arctius applicant, ea facilius tranſire autumant hi Viri egregii; quodque liquida Epiglottidem debilius apprimant, ea hinc furtim in Aſperam arteriam cadere, metumque ſuffocationis afferre, arbitrantur. Verum quia Epiglottis hinc radice Linguæ retropremente, illinc ipſa Glottide aſſurgente, premi, ſicque rimæ Glottidis aptari debeat, vario ab origine pendere hujus vitii cauſa poteſt; quanquam Epiglottis inculpata ſit. Unde nec hinc quæſito ſatisfactum.

Noſtram vero conjecturam *Bonetus* confirmat *Libr. II. pag.* 31. *Obſ. 6. & pag.* 37. *Obſ.* 24. Confirmat & *Mangetus* in Comm. ad eaſdem obſervationes. Præterea *Bonetus* ibid. Append. I. ſcribit Seni oſſeas eſſe redditas ipſas Laryngis Cartilagines, indeque tenaciorum ciborum minus incommodam eum habuiſſe Deglutitionem, liquidorum nullam; quod hæc illaberentur in Trachæam, illa, utpote vi pulſa majori, aptius deſcenderent. Simile quippiam ibidem refert Append. II. ex *Ballonio*.

Septima ægra cauſam habuit ipſis faucibus, ſuperiorique Œſophago inſidentem: qualem & qui

qui hunc caſum deſcripſit Medicus in altero deprehendiſſe cadavere videtur. Nec deſunt qui horum ſimilia repererint Obſervatores.. Alia ergo iterum a prioribus fuit mali ſedes. Hoc vero in caſu, ut etiam in plurimis, quæ N°. VIII. recenſentur, de ætiologia dicendi non datur copia. In Caſu IX. hiſtoria nil habet quo deinceps cauſa demonſtrari potuerit. In Caſu x. omnis Œſophagus cauſæ morbi ſedes fuit. Res cæteroqui expoſita intelligitur in prioribus. Ut quoque quæ ex *Tulpio* & *Boneto* recenſentur hiſtoriæ.

Egregius *Fredericus Ruiſch* in tot editis a ſeſe operibus ſententiam ſuam de morbi hujus proxima cauſa non vulgavit: refert modo *Adv. anat. Dec. I.* §. 10. Sententiam Ampliſſimi Viri *Joannis Mennes*, Phyſici, & Conſulis *Hulſti* Civitatis, mali ſedem ſtatuentis in Glandulis dorſalibus dictis, Œſophagum comprimentibus. *Veſalius* quidem glandulas haſce binas ternaſve ad quintam dorſi vertebram prope Œſophagum locari ſolere ſcribit: eas tamen quandoque deeſſe alii notarunt Anatomici.

Incomparabilis *Hermannus Boerhaave* nullibi, ſuper hoc morbo ſcripſit; conſuevit autem in explicando §. 73. *Inſtit.* de eodem quotannis differere: Eſſe ſcilicet morbum Patrum noſtrorum memoria fere inauditum, potiſſimum modo animadverſum, poſteaquam fervidæ Aſiaticorum Sorbitiones adeo invaluerint; ortum a

Glandularum dictarum Dorſalium induratione, comprimentium Œſophagum: quandoque & ſibi viſum a Parotide glandula male affecta, totam deglutitionem impediente, duxiſſe originem.

Evicere, ni me animus fallit, quæ de Cauſa proxima hucuſque ſcripſimus, variis eam partibus, alio atque alio modo inſidere; ſemper tamen deglutititorum impeditio vel tranſitu, vel deſcenſu, vel utroque, de medio tollere mortales. Nullam ergo ſedem propriam, quam funeſtus ille hoſpes incolet, poſſe aſſignari; ideoque a pluribus medicis Conſultantibus plures diverſas, æque veras tamen, ſedes morbi conſtitui, abſque eo quod quidquam diſcrepent, poſſe.

CAPUT IV.

De Curatione.

Giter cum Morbus tot calamitatum fœcundus, tanto diſcrimine plenus, provectusque arte quavis major, ac penitus deſperabundus ſit, requirit profecto uti Nos, qui in ſalutem humanam præſentem tuendam, reſarciendamque amiſſam, a DIVINA PROVIDENTIA unice deſtinati; qui ad miſeræ Adami proſapiæ ærumnas ſedulo indagandas officii vi ſimus, ſacramentoque obſtricti; qui denique aptæ iiſdem medelæ excogitandæ, detegendæ, appli-

applicandæ, neceſſitate inevitabili, atque inexcuſabili teneamur; ut, inquam, hac in parte ſedulam operam navemus.

Cauſis ergo Diſponentibus auferendis proderunt quæ humoribus devicta acrimonia fluiditatem debitam concilient, naturalem ſolidis flexilitatem, humiditatem, robur.

Applicari conſueverunt talia, ſed ſero: ea enim Morbus infamia eſt, ut altias radices egerit, ubi incipit noſci; ut probe cognitus, vix medelam capiat; ut remediis tentatus, acerbius ferociat.

Ergo in prima ejuſdem lineamenta advertendus animus erit, dum moriger & haberi conſuevit, & reipſa eſt. Adeoque ad perſpecta prima laborantis Deglutitionis initia, ſumma tum diſponentium cauſarum, tum excitantium, ratio habeatur.

Communes Praxeos Regulas de Obſtructis reſerandis conſulentes, Remediorum ad id aptorum denſam offendimus ſylvam, magnamque delectus faciendi, quo ſua cuique propria conferamus, facultatem. In actum autem illa ducturi, quam non inutilia ſæpe, quam non aliquando noxia eſſe, experimur? Quotus enim quisque eſt, qui animo non doleat ſelectiſſimorum remediorum inertem, in rebelle malum, actionem? Ecquem ſæpe innumerabilium rerum, fruſtra quas applicuerit, non maxime tædeat? Tot, inquam, plantarum omnibus ſuis

cum partibus adhibitarum ? natique inde multiplicis gummi, atque Reſinæ ? Tot Salium neutrorum, aliorumve, mite vel potenter ſolventium; Tartari vitriolati, Salis polychreſti, Stibii diaphoretici, Salis tacheniano more parati, Terræ foliatæ tartari ? Tot præſtantium Saponum, Veneti, Amygdalini, &c. ? Tam egregie paratorum de mineralibus Remediorum; nec non aquarum Selteranæ, Spadanæ, Pyrmontanæ ? Venæſectionis ? Purgantium ? Emeticorum ? Papaverinorum ? Vini reſerantis medicatiſſimi ? Ipſiuſque Mercurio excitati Ptyalyſmi ? Animo profecto concidimus, dum cum morbo ſtrenue luctati diuque, oleum atque operam nos perdidiſſe demum intelligimus. Legantur, quæſo, attente, diurna volvantur nocturnaque manu, quæ a laudatis omnium fere Nationum Autoribus Conſilia habita ſint, quæ excogitata auxilia, quæ concinnatæ formulæ, quæ denique genus omne remedia cum copioſe, tum lectiſſime, adminiſtrata fuerint; in memoriam revoncentur; quæ quoque Noſtrum autore applicata ſint ſtudioſiſſime; vel ultro patebit quam parum, niſi in mali primordiis, auxilii attulerint, quamque ſæpe eidem irritamento fuerint; ne ipſa quidem Ptyalyſmo peracta Cura excepta, quam tamen votis *Semel* ſucceſſiſſe ſuis, ad *Ruiſchium* ſcribit Ampliſſimus *Mennes*. *Ruiſch. adv. anat. dec I.* §. 10.

Methodus alia ergo examinanda eſt, quam

vage

vaga experimenta docuerint, effectus probarint, confirmarit ratiocinium.

Qui inchoante morbo medica ope vel non utuntur, vel carent, Hydrogala, & Lactis ſerum, Lac ebutyratum, abunde haurire nonnunquam deprehenduntur, res in promptu cunctis, pretio viles: multique ſcreatum incipientem male habenti Pectori adſcribentes, communi, nec vituperanda, plebejorum conſuetudine, ad moderandum illum mel adjiciunt, iiſque quamplurimum uſi levamen ſæpe capiunt. Cum autem *Artem experientia fecit*, *exemplo monſtrante viam*, fit hinc Medico compertum, quam hic diluentia proſint ſolventibus miſta, eique ratiocinanti apta videri incipit, quam averruncando malo inertem crediſſet, ſimpliciſſima medela. Quippe craſſum, fateri cogor, erramus errorem, dum ſimplicibus contenta Natura ſapientiores velimus videri. Mortalium candidiſſimum, ſimulque ſapientiſſimum, verum Medicinæ Oraculum, *Hermannum Boerhaave*, præſens præſentem audivi fatentem errorem olim hac in re ſuum: „ Quondam riſiſſe ſe, „ ajebat, *Hippocratis* ſimplicitatem, in variis „ abdominis morbis aquam mellitam, iners „ remedium, apprime laudantis: ea quippe ſe „ fuiſſe opinione imbutum, ut acriora medi„ camenta, ſales varios, imo alcalinos tam „ fixos, quam violatiles, & id genus alia, „ ſola eſſe crederet, in morbis quæ forent

„ actuo-

„ actuoſa: id tamen obſervaſſe, qui ſyſtema-
„ tis hujuſce pœnas luerent, ipſos ægros ſuos
„ eſſe, ſcirrhoſa præprimis diatheſi laboran-
„ tes. Hinc ſeſe tœdio affici, infortuniis laſ-
„ ſari, legendoque ac ruminando *Hippocrati*
„ ſe totum, ſe integrum, dare: mirari tum
„ nervoſam ſimplicitatem, ſtupere brevitatem
„ ſapientem, quin tandem ſyſtemate ſuo mul-
„ tis ſuperiorem paraſangis, digniſſimamque,
„ cui pareant omnes, prædicare. Aſſeverare
„ ſeſe & poſſe, & debere, hippocratica ſe-
„ quentem ſe egregie nonnunquam inveteratos
„ morbos curaſſe, immedicabiles levaſſe feli-
„ citer". Unde idem in Oratione *de commen-
dando ſtudio Hippocratico*. „ Hippocrates, in-
„ quit, obtemperans morbo, eidem imperat:
„ ſuis illum artibus vincit: dumque deficien-
„ tis vitæ vires erigit, vel furentis in ſua
„ damna impetus temperat, pauca, ſed cer-
„ ta; vilia, ſed apta, remedia invenit.

Sane quotquot hujuſmodi ægros curandos habui, hos vitam obſervavi tolerabiliorem egiſſe, dum in provectiore hoc morbo hiſce ſimpliciſſimis uterentur; imo nonnullos integræ ſanitati redditos, qui, inchoante malo, horum uſum & copioſe, & diu, adhiberent: Efficaciorem autem hæc opem attuliſſe, cum herbis & emolientibus: & ſaponaceis, apte juncta.

Quid enim? Emollire & humectare, quæ aruiſſent; quæ obturata eſſent, aperire; quod com-

compactum, dividere, attenuare, quod concretum eſſet, una ſolaque in hoc morbo indicatio fuit. Quæ ſimplicia recenſui, abſque ulla vi, ſumma cum efficacia, nullo cum periculo, omne tulerunt indicationis punctum.

His vero vel non, vel ſero, vel parcius, vel fruſtra, adhibitis, actuoſiora excogitare remedia ars dictitat, uſuſque nonnullam, in multis vero ne minimam quidem opem præſtat.

Nonnullam præſtare opem dico, in incrementis obſtructæ partis, ſcirrhoſæque, tum diminuendis, tum auferendis. Quippe ubi obſtructio vel ſcirrhus alicubi notabilis hæret, vicina eidem vaſa, vicinæque glandulæ, quo minus ſuum liquidum per obſtructa vaſa expedite tranſmittant, impeditæ, novas formant obſtructiones, veteres firmant, compingunt, augent. Obſtructionibus hiſce & recens natis, & etiamnum naſcentibus, reſerandis, ſi ſimplex Methodus pag. 48. propoſita minus profuit, Remedia dicta in Arte *Deobſtruentia*, quæ pag. 47. magnam partem recenſui, conferre poterunt, & ſolvendo impacta, & vaſa lateralia expediundo, quo deinceps per eadem moles ſoluta tranſeat. Hac ratione recentis tumoris aufertur augmentum, manente nihilominus primo affecta morbi ſede; quam ſæpe eadem irritant remedia, in dirumve cancrum convertunt. Ipſa enim morbi hiſtoria eam Ob-

ſtru-

ſtructorum naturam in his locis docere videtur, ut perpetuo motu & affrictu, & irritatione, haud modo non ſolvantur, ſed brevi peſſimam lethiferamque conditionem induant.

Nec tamen inficias ivero ad percepta prima ipſius morbi indicia etiam alia poſſe, præter hanc ſimplicem methodum, proficua fore. Ut enim recentes obſtructiones glandularum ſcirrho finitimarum aliis remediis diximus ſolvi nonnunquam poſſe, ita & adhibita illa initio ipſius morbi profutura credere fas eſt: initio, inquam; ut enim ſæpius innui, cito morbus in invincibilem fere properat pertinaciam, maturatoque hinc opus eſt. Remediorum ad id utilium integram claſſem, pag. 47. recenſui. Hic vero loci quid Picem, ac præcipue Piceam aquam, non commemorem; egregium illud Balſamum ſolvens, tot laudibus a Rev. G. *Berkely*, Epiſcopo Britanno, celebratum, tot encomiis ornatum, tot comprobatum experimentis? Princeps ſolventium eſt, adeoque videtur malo in incunabulis degenti adhibitum, ſpem curæ allaturum maximam. Sero equidem vocatus, in provectiore morbo propinavi, ſed fruſtra fui. Quid de Spongia vaſe clauſo uſta prædicem; inertiſſimo, ut videtur, remedio, prorſuſque inutili? Quod tamen Veterum nonnulli, quod Auſtriaci Medici, (quemadmodum Nobiliſſimus *Van Svvieten*, Augu-

ſtiſſi-

ſtiſſimorum Romanorum Imperatoris atque Imperatricis Archiater, haud ita pridem ad me ſcripſit,) in glandulæ Thyroideæ tumoribus feliciter curandis adhibent; quod etiam Amſtælodami a Germano Medico in pluribus totius colli tumoribus duris ſummo applicatum cum ſucceſſu, fidis novi autoribus.

Verum ut, quod dixi, repetam, vix videas quos prima mali labes reddat anxios futurorum. Spaſmis Ventriculum autumant flatibusque torqueri; eamque ob cauſam quæ ſpaſmos ſolvant, quæ diſcutiant flatus, peſſima mali irritamina, ſumunt affatim. Suntque qui Ventriculum ſibi debilem eſſe, glutineque, & acore, & bile infarctum, rati, magno cum damno ſuo, Catharſin ſponte excitent, ore, anoque. Qui equidem error haud ægrotantium ſolus, ſed & Medentium eſt; quod etiam mihi olim, dum morbus obſcurior eſſet, contigiſſe, fateor; & Laudatis ſupra Autoribus non paucis eveniſſe conſtat. Interim, quod dolendum, patitur æger; dumque hoc morbo laborare certo noſcitur, fere perit.

CAPUT V.

De ſimilibus incommodis a cauſa fixa atque perenni minime oriundis.

CUm ſubdolus morbus huc uſque enarratus, animum requirit attentiſſimum, qui quid rerum geratur, confeſtim perſpiciat, idoneaque remedia mox applicet; diſtinctam morbi ideam menti oportet præſentem eſſe, morbumque probe internoſci ab aliis Gulæ atque Ventriculi incommodis, quibuſcum affinitatem habere quam maximam videri poſſit. Operæ precium ergo erit paucis recenſere, quæ de ſpurio morbo, eo ſcilicet, qui cauſam fixam atque perennem non habere appareat, in operis diviſione innuimus.

Citatus ſupra Medicus *Vander Sterre Libr. prax. med. chir. obſ.* 8. refert ad ſe veniſſe hominem, deglutiendi facultate adeo privatum, ut nec liquida deglutire, nec ſolida poſſet; doloris cætera immunem. Cauſam expiſcanti ſibi in prægreſſa aeris frigidi in calidum corpus alluvie eam ſitam eſſe viſum eſſe: extemplo ex ſp. C. C. & tinct. Caſt. parata injectione ſuſtuliſſe malum. Gulæ quippe fuiſſe incipientem abſque Inflammatione Reſolutionem. Injunxiſſe tamen Ruſtico per aliquot dies purgante remedio, injectuque uteretur eodem. At vero Triennio poſt hac elapſo contigiſſe idem

ad

ad ſeſe ut rediret agricola, quæritans quam carnis offam eſſet deglutiturus, eam imis immobilem faucibus hærere. Tum ſe, magno cum hominis detrimento, pulcerrimæ curæ immemorem, ſpongia argenteo filo alligata bolum in Ventriculum detruſiſſe, quemque curatum crederet, dimiſiſſe hominem. Eum tamen poſtera die æque miſerum rediiſſe. Curam ergo enemate ſe tentare voluiſſe, quo motu Inteſtinis concitato, eundem & Œſophago conciliaret; ſera autem veſpere dum priora recordaretur, ſe hominem eodem, quo olim, modo, de integro curaſſe.

Platerus obs. Lib. I. Cap. de Tranſitus per gulam defectu, ſcribit Vetulam in Noſocomio cum amiſſa loquela in ſummam incidentem deglutiendi difficultatem, pluribuſque ſeptimanis jure carnium & lacte ægerrime ſuſtentatam, demum ſanitati integræ redditam eſſe, ſolo, quem ex ſalvia Vino incocta paraſſet, Gargarizatu, & Aqua vitæ, cui Thymus intabuiſſet, ore contenta.

Similem Caſum, curamque, *Acad. Leop. nat. cur.* loco ante memorato refert. Paralyſis utroque in caſu cauſa proxima fuit.

Williſius pharm. rat. part. I. ſect. 2. cap. I. Hiſtoriam refert hominis, diu quidem impedito Deglutitorum in ventriculum deſcenſu laborantis, jam vero extrema agentis fere. Is ſive inferioris Œſophagi Paralyſin, ſive qui deglu-

glutitis remoram faceret, tumorem, in cauſſa eſſe arbitratus, ſpongia oſſiculo Balenæ flexili alligata, protruſit deglutita in ventriculum: id quod longa deinceps annorum ſerie ipſe ſibi facere homo potuerit. Similem fere caſum *Stalpaard vander Wiel Cent. II. part. I. obs.* 27. habet. Evidenter hic paralyſin arguimus.

Imo Luxatio oſſis hyoidis impedire deglutitionem poteſt. Egregius *Ant. Maria Valſalva Tract. de aure hum. Cap. II.* in deſcribenda fabrica uſuque quarti paris muſculorum Pharyngis, Hyopharyngæi dicti, quod ſextum par Santorini audit, hæc habet: „ a Muſculorum „ iſtius paris violenta diſtenſione, quando vi„ delicet nimis copioſa, & non bene manſa „ Cibariorum quantitas in Pharyngem protru„ ditur, poteſt *Luxationis* ſpecies ſuccedere in „ Appendicibus cartilagineis ejuſdem oſſis hyoi„ dis: quod ego in Muliere Bononienſi a de„ glutitione craſſioris boli bovillæ carnis non „ bene manſæ obſervavi. Putabat mulier mul„ tiſque impoſuerat, ſe divexari a bolo in fau„ cibus hærente; quem ut inde deturbaret, va„ ria manuum & medicamentorum auxilia ten„ tavit, ſed incaſſum. Iamque elapſum triduum „ erat abſque eo quod ullum cibum, vel po„ tum, aſſumere potuiſſet, cum denique a me „ opem quæſivit: Ego vero omnibus perpenſis „ cum in aliqua ex appendicibus cartilagineis „ oſſis hyoidis Luxationem ſuſpicarer, partem,

„ ut

„ ut anatomica indicabat cognitio, ita digitis „ contrectavi, & ilico per unam vel alteram „ contrectationem, omnia in priſtinam ſanita„ tem redacta ſunt ſic, ut immediate, abſque „ ullo deglutiendi incommodo, juſculum ſume„ re, & cibum, mulier, modo deſperata, po„ tuerit.

Spaſmis poteſt ſimilis morbus gigni. In *act. Edimb. part. I.* §. 28. *Robertus Aird* poſt efflorefcentias, poſt colicos dolores, poſt febrim ſpaſmis convulſionibuſque ſtipatam, incidit in deglutiendi impotentiam: quam tandem Cataplaſmate diſcutiente Anodyno, & Tinctura roborante nervina, Medici vicerunt.

Anni 1742. æſtate fere media, mulier ſeptuagenaria, corpore calens ſudanſque, cogitur ſtringente acri Borea, apertis cubiculi feneſtris, diu immorari, unde mox refrigerari collum ſibi, febrimque adeſſe percipit. Tum nutare Caput, pendulum fieri, imperatis non obſequi motibus. Febris in xj. diem perduravit, quo ipſo die urina criſeos factæ ſigna dedit. 14. die Febris perfecte judicata dici potuit. Nihilominus a ſeptimo die ſuffocatio ægram ſingulis propemodum veſperis incipit affligere, dieque xj. deglutiendi auferri facultas, ut deglutita tandem per nares redirent. Monita mulier inter deglutiendi nares clauderet, id ſe facere aſſeverabat nullo modo poſſe, quod ſibi Reſpiratio, mox ubi id tentaret,

interciperetur. Vox enim ipſi ingrata, quemadmodum illorum, quos perperam ajunt per nares loqui: his enim per obſtructas nares vix, difficulterve, tranſit aer: huic vero fœminæ licet obſtructæ multum nares eſſent, Viam tamen aer pandere ſibi per eaſdem coactus fuit, quia a velo palatino atque uvula laxatis, ſolitoque magis in anteriora pendulis, liberum aeris iter occluſum erat: 24. morbi die interiit. Frigus affecit nervos octavi, forte & noni, paris, per collum decurrentes, præcipueque illos, qui deglutitioni potiſſimum inſerviant, ramos.

Hyſterica mala quam frequenter peſſimas anginas æmulentur, deglutitionem lædant, hancque ob cauſam imponant incautis, notum adeo, ut opus explicatione non habeat; nec reperias qui hæc ab eo, quem tractamus, morbo, non brevi diſcernat. Tamen mihi temperare nequeo, quin memorandum Caſum addam, Anno 1745. menſe Novembri, contigit ut Fœmina quinquagenaria, menſtruo fluore carens, macilenta, hyſterica, melancholica, avidiſſime piſa dicta griſea comedens, ſentiret fauces ſibi ſubito conſtringi, ut nec ſurſum premi videretur bolus, nec deorſum poſſe. Incaſſum fere omnibus, quæ artis eſſent, tentatis, injiciendum eſſe decrevi enema eccoprotincon, ejuſque peracto effectu, aliud, ex vj. unc. Lactis dulcis, & Opii gr. iv. paratum, eſſe immit-

mittendum. Oboriebatur inde placidiſſimus ſomnus, eoque finito, reſtituta in hunc uſque diem deglutitio.

De iis affectibus, quos ſpinæ, oſſa, aliæque quæcumque ſimiles materies gignant, hic loci diſſerere alienum videtur: Autores chirurgici paſſim, ac præcipue *Memoriæ dictæ Acad. Reg. chirurg. Pariſ.* qui pulcerrimos horum omnium Caſus curationeſque referant, adeundi ſunt.

Parum Arti, non diffiteor, Tractatulo hocce contuliſſe videbor. Namque modo in animo habui calamitoſum morbum, qui in obſcuro hucuſque, & dubio, & incerto magnam partem jacuiſſet, prodere foras; qua illum ratione invadere homines, incrementa capere, inque mortem ducere, pluries animadvertiſſem, neve labili memoria exciderent chartis mandaſſem, ſecundum artis regulas deſcribere; qualiſnam cauſa proxima eſſet, quamque diverſam ſedem ſæpe obtineret, ex ipſis demonſtrare cadaveribus; quæ ſparſim hic illic ſuper hac re tum Veteres haberent, tum Recentiores Autores, fideliter colligere; morbi pro virili explicare phœnomena; curatu quam eſſet difficilis oſtendere; tandemque qua fortunatiore methodo forſan impoſterum curandus videretur, innuere paucis. Atque hic mihi terminos figo. Utque in opuſculo de *Colica Pictonum*, ita & hic optimos provoco Artis Proceres, Cultores

Medi-

Medicinæ omnes, hæc grata, hæc accepta velint eſſe, tantum prolata arbitrati, ut de ditiſſima penu ſua promant, quæ in hiſce ægris tum inviſendis, tum quandoque curandis, tum in examinandis hoc morbo extinctorum Cadaveribus, in artis detexerint incrementum; quæque vel morbo curando ſaluberrima, vel ſaltem eidem mitigando aptiſſima obſervaverint. Quibus dum mihi rem gratiſſimam præſtent, miſeris mortalibus præſtabunt utiliſſimam.

F I N I S.

ANTONII DE HAEN

MEDICI HAGA-BATAVI

DE

COLICA PICTONUM

DISSERTATIO.

NEAPOLI MDCCLXXVIII.

Sumptibus FELICIS IPPOLITI Bibliopolæ

Superiorum Permiſſu.

DE
COLICA PICTONUM
DISSERTATIO.

MOrbi diſcuſſionem adgredior, quem maſculæ Medicinæ temporibus ignotum, ſequentes ætates confuſe adeo tractari viderunt, ut methodica ejuſdem deſcriptio, & curatio in arte hucuſque deſideratæ fuerint.

At vero non is ego ſum, qui hoc operis arbitror me abſolviſſe: tantos ſpiritus, tantamque arrogantiam abſit mihi unquam ſunſerim! At opportunitatem videndi, & examinandi hujus morbi crebriorem nactus, ſimul a Divina Providentia mihi datam eſſe credidi, eundem penitius introſpiciendi, imiſque e fundamentis eruendi provinciam. Factum hinc, ut, quotquot potui comparare Autores, diurna verſans, nocturnaque manu, ſeorſum notaverim quid ſinguli quique hanc in rem commentati eſſent: ut propria dein obſervata in chartas conjecerim: hæcque demum, & varia, & multa, cum antiquorum doctrina contulerim. Atque hinc tandem nata eſt morbi utcumque Methodica cum deſcriptio, tum curatio.

Bipartitus proin erit tractatulus. Principio paucis ſiſtet Autores, qui de hoc morbo ſcri-

pſere ; ſimulque eorumdem morbi cognoſcendi, & curandi methodum tradet. Dein dabit ejuſdem morbi deſcriptionis, & curationis methodice tractandæ ſpecimen.

CAPUT I.

Siſtens Autores, qui hunc morbum tractarunt, atque eorumdem omnium generale argumentum. Origo nominis.

VOcatur de quo agitur Morbus *Colica Pictonum*, vel *Colica Pictavenſis*, nomine admodum improprio. *Pictones*, ſeu *Pictavenſes* vocantur incolæ *Galliæ occidentalis* provinciæ cujus primaria urbs *Pictavium* audit. *FranciſcusCiteſius Pictavenſis* 1639. ediderat *Diatribam de novo, & populari apud Pictones dolore colico bilioſo*. Fatetur autem idem *Citeſius* morbum non ſolum Pictonibus familiarem ab ipſo ſuo initio fuiſſe, ſed & ſimul Armoricis, Santonibus, Engouliſmenſibus, & toti ferme Aquitaneæ. Imo ſcribit ipſe *P. Milonem Henrici IV.* Medicum, hunc morbum *Lutetiæ* dudum obſervaſſe, Mediciſque, ejuſdem adhucdum ignaris, tunc indicaſſe: *Fernelium* ſub idem tempus eundem obſervaſſe ſub Continuarum, Tertianarum, Quartanarum febrium finem: *Hollerium* malum *Britonibus* familiare ſcripſiſſe. Ex *Droeti* ſcriptis pateſcere in *Pi*-

car-

cardia 1572. eum fuiſſe epidemicum: Ex *Langii* lib. 2. Epiſt. 38. liquere morbum notum fuiſſe in *Moravia*, *Sileſia*, maximaque inferioris *Germaniæ* parte: *Cratonis* Epiſtolas de Paralyſi ex colica nata anno 1582. ſcriptas; nec non *Paracelſi*, ejuſque Antagoniſtæ *Eraſti* opera, idem evincere. Perperam proinde *Citesium* nominis autorem ſtatuunt, inter quos *Theod. van Zelſt*, belgico tractatulo anno 1739. *de Podagra & ſcorbuto*. Sed cum famam ſibi maximam conciliaſſet *Citeſius* tractatu ſuo ſane lectu digniſſimo, multi deinceps autores ejuſmodi Colicam obſervantes, & cum Citeſianis de pictonum Colica conferentes, Colicæ huic *pictavenſis colicæ*, ſeu *colicæ apud pictones popularis* nomen indiderunt.

Varia morbi nomina.

Variis nominibus indigitatur in ſcriptis Medicorum. *Peſtiferam* colicam *Paulus Regineta* vocat lib. 3. cap. 23. Qua eum appellatione, & Citeſius aliquando donavit. *Bilioſam* colicam dixere multi, quos inter *Milo*, *Citesius*, *Cahagnesius*, *Sennertus*, *Riverius*, *Craanen*, *Muis Seroſam* vocavit *C. Piſo Scorbuticam* plerumque eſſe *Schenkius*, Eugalenus, Funghen, &c. ſtatuerunt. *Convulſivam Baglivus*, & aliquando Funghen. Colicam Notham definivit *Cahagneſius* nonnullis in locis.

Autores juxta temporum ſeriem, qui de hoc morbo mentionem faciunt.

Priſcis Medicinæ ævis ignotus videtur morbus. Quamvis enim *C. Piſo* conatus fuerit aſſerere eum pluribus in locis ab *Hippocrate* deſcriptum eſſe, tamen tanti viri pace dixerim nimium contorta ab ipſo fuiſſe citata *Hippocratis* loca. Vide *Tract. Piſonis de morbo Seroſ. pag.* 274, 275. *edit. Leyd.*

Caſtiſſimus naturæ, poſt *Hippocratem*, Obſervator *Aræteus Cappadox*, hujus morbi nullibi ullam fecit mentionem.

Paulus Ægineta, qui ſub Heraclio ineunte ſeculo VII. floruit, primus ejuſdem meminit Lib. 3. c. 12. & 43.

Avicenna Cordubenſis, Arabs e ſtirpe regia, florens medio XII. ſeculo in Paralyſios hiſtoria paucis hanc colicam tetigit *Æginetam* citans, & fere totum ſine additamentis referens.

Altum poſt hac ſilentium morbi hujus apud Autores, uſque ad XVI. ſæculum fere medium; ex quo pleriſque omnes deſcribere eum occœpere.

Andreas Laurentius, Henrici IV. Galliæ Regis Archiater, nec non Monſpelienſis Academiæ profeſſor exeunte XVI. ſæculo edidit *Hiſt. anat. hum. corp.* in eaque morbum, ceu pertranſiens deſcribit.

Fe-

Felix Platerus Tom. I. Prax. edit. anno 1602. hanc colicam delineat.

Carolus Piſo Pariſienſis anno 1618. librum edidit *de morbis a ſeroſa colluvie & diluvie ortis*; graphice deſcripſit hanc colicam, quam primo a ſeſe ait obſervatam apud Religioſos cœnobii *Bellipratenſis*, anno 1596. & ſeptennio poſt in opulentiſſimo Cœnobio Stabulenſi.

Daniel Sennertus Vratiſſavienſis, qui *Piſonis* ævo floruit, teſtantibus id primis ab ipſo editis anno 1609. operibus, variam hujus Colicæ mentionem fecit. Vide lib. 1. part. 2. cap. 37.

Iacobus Cahagneſius Camodenſis, Medicinæ profeſſor regius anno 1616. *Cadomi* edidit libellum, cui titulus. *Brevis faciliſque methodus curandarum febrium*; cujus ad calcem adjecit peculiare caput de colica pictavenſi, ive ſimili.

Nicolaus Fontanus Amſtelodamenſis in *Florilegio* anno 1637. edito, de hac Colica ſermonem habet.

Franciſcus Citesius Pictavenſis, Ludovici XIII. & Cardinalis Richelii Medicus, nec non facultatis Medicæ Pictavenſis decanus 1639. edidit, quam mox laudavi, *Diatribam de novo, & populari apud Pictones colico bilioſo*; quem circa annum a nato Servatore 1572. exortum eſſe ſcribit. Omnium optime de eo diſſeruit, magnumque *Salmaſium* hoc morbo fere confe-

 ctum,

ctum, & a nullis Medicis levatum ſanitati reddidit, ut ipſe *Salmaſius* teſtatur. Supra jam vidimus ex *Citesio* morbum innotuiſſe *P. Miloni*, *Fornelio*, *Hollerio*, *Droeto*, *Langio*, *Cratoni*, *Paracelſo*, *Eraſto*.

I. B. ab Helmont Bruxellenſis, qui anno Domini 1644. obiit, de hoc morbo loquitur *libr. de Flat.* pag. 401. libr. *a ſede animæ ad morbos* pag. 281. Et libr. cui titulus *jus duumviratus* pag. 289.

Lazarus Riverius Med. Regius, ac Profeſſorum Monſpelienſium Decanus, qui ſub medium ſæculi XVII. floruit, prax. med. lib. 10. cap. 2. fuſe hanc colicam tractat.

Joannes Jacobus Wepferus, qui medio ſæculo elapſo floruit Epiſtolam ſcripſit *Schafhusiæ Helvetiorum Vratislaviam* ad *Sachſium*, cujus argumentum verſatur circa *Pareſin poſt Colicam ex vino*. Ait ejuſmodi ægros ſibi ab aliquot retro annis plurimum negotii faceſſiviſſe. Extat Epiſtola hæc in Miſcell. nat. curioſ. anni 1671.

Daniel Peruarius Profeſſor Genevenſis anno 1678. edidit *Thomæ Burneti Theſaurum*, cum obſervationibus propriis: longe lateque ſuper hoc morbo diſſeruit, in obſerv. ad libr. 3. ſect. 48. ſubſect. 13.

Thomas Sydenham ingens Angliæ ſidus medicum, paucis rem attigit, proceſſ. integr. pag. 605.

Tho-

Thomas Williſius tract. de anima Brutor. cap. 9. paralyſin ex colica natam exponere molitur.

J. H. Jungken Med. prax. lector edit. prax. Francof. 1689. pauca in eandem commentatus eſt.

N. Craanen Lugdunenſis primo Profeſſor, Brandenb. Electoris dein Medicus circa finem ſuperioris ſæculi in *Lum. rational. Med.* cap. 5. verba de hoc morbo nonnulla fecit.

Eodem circiter tempore *J. Muis* Med. Batavus in *praxi Medico Chirurgica rationali* decad. 6. Obſ. 10. meminit Paralyſios utriuſque brachii poſt colicam bilioſam; at vero ut rariſſimum hiſce in oris morbum notat.

G. Baglivus Romanus, ſub Innocentio XII. & Clemente XI. Profeſſor, in prax. med. part. 1. cap. *de Colica* multa egregie diſſeruit, quæ ad hunc ſcopum pertineant.

I. B. Bianchus Taurinenſis in Anatomia Profeſſor in *Hiſt. Hepatica* 1725. edita, hanc Colicam deſcribens, multus primo eſt in aliorum autorum referendis opinionibus dein ſtatuit eſſe morbum graviſſimum, pertinacem, curatu difficillimum; denique Lectores ſuos mittit ad *Citeſii* de hoc morbo Tractatum.

Anonymus autor Amſtelodamenſis Medicus extat in Eruditorum Diariis, quæ vulgo *Bibliotеque raiſonnee* appellitant, dignus profecto, qui ob multa, quæ profert egregia, attento lega-

tur

tur animo. Vide *Bibliot. raiſon. tom.* 8. *art.* 2. *&* *tom.* 9. *part.* 1. *&* 2. Acta Edimburgenſia, quæ inter tot præclara inventa de hoc morbo nihil habent, tribus diverſis in locis Anonymum hunc laudant.

Theodorus van Zelſt Beverovicus Medicus anno 1739. belgice evidit tractatum *de Podagra, & Colicis Scorbuticis*, in quo nonnulla de hoc morbo ſane non contemnenda; ſed quæ tantum ex uſu ſunt moras ducente morbo; nam quæ in mali primordiis requiruntur, ea ne tetigit quidem autor, nec illum etiam vidiſſe unquam a principio morbum, ex tractatu ejus admodum credibile ſit.

Immortalis Boerhaavius in nullis editis a ſeſe operibus ſuper hoc morbo diſſeruit; neque etiam toto fere Quadriennio, quo aſſiduus ipſius in privatis inſtitutionum, ac Praxeos collegiis auditor ſui, verba de eo fecit. An quia publicis eum reſervare lectionibus maluit. Ubique in lectionibus de *morbis nervorum* annis 1731. 1732. 1733. 1734. publice habitis cap. 2. ſub titulo: *de morbis ex affectione Nervorum abdominalium natis*, mira de eo, & egregia protulit, quæ ex dictitantis ore exacte exſcripſi. Quumque Lectiones hæ typis nondum excuſæ ſint, obſtrictum me arbitror, ut, quæ huc pertineant, publici faciam juris. En ipſius verba: Lect. 22. cap. 2.

Sen-

Sententia Boerhavii ſuper hoc morbo.

„ Quandoque homines ſani, (centenos vidiſ-
„ ſe me credo) nullam cauſam incuſantes,
„ incidunt in dolorem intolerabilem circa un-
„ bilicum, qui omni remedio reſiſtit; inſtar
„ tenebræ hæret ad inteſtina tenuia. Subſequi-
„ tur color pallidus, flatus, debilitas quædam.
„ Hi, poſtquam binos, ternoſve paroxyſmos paſ-
„ ſi ſunt dolore colico ſe dicunt laborare. Sed
„ incipiunt perdere carnoſum habitum ad mu-
„ ſculos moventes humerum plus ad brachium,
„ & ulnam ſed maxime muſculorum, qui mo-
„ vent carpum, Metacarpum, digitorum pha-
„ langes ita ut ab humero ad uſque ungues,
„ oſſa tantum, & tendines, membranaſque vi-
„ deas. Tandem morbus ille tendines alligat
„ ad vaginas, & omnes illæ partes gracileſcunt.
„ Morbus eſt frequentiſſimus. Nihil ſentierunt,
„ niſi dolorem ad umbilicum, ubi ileon inte-
„ ſtinum. Clyſmata aliaque alvum ſtipatam
„ nequiverunt movere. It malum, reditque.
„ Effectus ſemper eſt Emaciatio dictarum par-
„ tium. Si diu duravit, pedes, & tibiæ, &
„ femora, pariter afficiuntur. Vocatur a Medi-
„ cis *Colica pictonum*, quibus hominibus mo-
„ leſtiſſimus obſervatus eſt.

„ Quid mirabilius quam quod nervi in Me-
„ ſenterio, aut inteſtinis afficiantur, & inde
„ pereat actio dictarum partium. Non eſt
„ quod

„ quod dicas Nervos communicare, & hinc
„ fieri: nam undenam ergo perit Pinguitudo?
„ & cur non alibi? Pinguitudo quippe ita pe-
„ rit, ut vagin tendinumæ cum iiſdem con-
„ creſcant, & vaginæ cum perioſteo, vel a-
„ liis tendinibus.

„ Pendet a ſingulari proprietate, hiſce in
„ nervis obſervata; quam explicare nemo pot-
„ eſt ex legibus humani corporis.

LECT. 23. CAP. 2.

„ Circa diſceſſum heri proponebam morbum
„ notiſſimum *Colicam pictonum*; unde natus in
„ artubus ſuperioribus dictus *Pareſis*, ſive *Re-
„ miſſio*: Eumque in ortu, ſede, effectibus,
„ deſcripſi. Præcipue mirandum quod a nul-
„ lo alio ortu oriatur: (pareſis enim tantum
„ a nervis abdominalibus affectis:) & quod
„ non modo ſpiritus ibidem afficiat, ſed quod
„ pinguedinem craſſiorem arterioſi ſanguinis
„ ſobolem, intercipiat; ac gracilitatem, ſic-
„ citatemque, inducat: unde tandem, tendine
„ concreſcente, Immobilitas.

„ Quicumque hunc morbum bene obſervant
„ dicunt in opulentiſſima urbe, Amſtelodami,
„ eum eſſe frequentiſſimum. Pictoribus eum
„ oriri, iiſque qui pigmenta de plumbo pa-
„ rant, qui fundendo plumbo operantur, maxi-
„ me qui vetus plumbum purificant, & uten-

„ ſile

„ ſile reddunt , unde peſſimus fumus oritur ;
„ hos omnes eo morbo affici . Frequens eſt ,
„ & iis, qui per plumbum in fornace figuli-
„ nis vaſis vitro incruſtandis operam dant ; iis
„ quoque in opulenti redimunt oleoſa , fortia ,
„ ſpiſſa , vina Rhenana , habentia quid dulcis,
„ quod ſuſpicor eſſe a plumbo . In Germania
„ ſuſpenſus fuit mercator , qui adulterando ſic
„ Vinum ditiſſimus factus erat. Fatalis ars for-
„ te adhuc viget . Colorem fulgentem habet
„ vinum illud , guſtu mite eſt quaſi ſacchari
„ ſaturni quid admiſtum habens : & quoniam
„ eos , qui tale vinum bibunt, ſic affectos vidi,
„ ſuſpicor a plumbo eſſe .

„ Multos curandos habui , quibus quatuor
„ extremos artus plane exſiccatos vidi, ſed per
„ ſuccum mitiorum antiſcorbuticorum reſtituti
„ ſunt, per Balſami peruviani, de copayba aſ-
„ ſiduum uſum, per ſaponis veneti uſum quoti-
„ dianum , per frictiones externas ſolius abdo-
„ minis , per Emplaſtra abdomini, non artubus
„ applicata , adhuc hoc anno pluras curavi .

„ Diſcimus inde quomodo affectiones horum
„ nervorum habeant influentias in remotas par-
„ tes , & agant omnium humorum lentiſſime
„ motorum alienatione .

ET LECT. 78.

De mira nervorum deſtributione fuſe agens, rem ſic explicat. „ Se-

„ Sequitur jam mirabilis conſtitutio artuum
„ ſuperiorum *Galenus*, *Veſalius*, & optime
„ *Euſtachius* docent, quod ad ſolos humerum,
„ brachium, carpum, & digitos, ferantur quin-
„ que ingentes nervi, mire amplexi, ſub axil-
„ lis deſtributi, & evaneſcentes in hunc ar-
„ tum. Unus *Euſtachius* appinxit nervum com-
„ municantem cum quinque paribus, hiſce fa-
„ cientem primam cauſam motricem, qui ra-
„ mus habet commercium cum nervis viſcerum
„ inferiorum.

„ Nil mirabilius, quam quod Paralyſis ab-
„ ſoluta artuum ſuperiorum cum exſiccatione
„ oriatur a Colica pictonum hærente in ſolo
„ meſenterio. Morbus creberrimus eſt; & pa-
„ tet hinc commercium eſſe maximum in his
„ nervis.

Acta pariſina, tota quanta, memorabile ni-
hil, quod huc ſpectet, referunt.

Ephemerides naturæ curioſorum nonnulla ha-
bent, quæ ſcopo noſtro inſerviant, quale quid
pag. 6. de *Wepfero* citavi; cæterum videntur
cum allegatis autoribus omnia convenire.

Acta Edimburgeſia nihil continent, quo mor-
bus hicce illuſtrari queat.

Omnium Autorum obſervata de Diagnoſi hujus morbi.

Omnes memoratos autores ſedulo pervol-
veni

venti conſtabit *Colicam pictonum* eum morbum eſſe, ubi violentiſſimus, iſque perſeverans diu dolor, ventri innaſcitur, cum alvo nullis irritamentis reſeranda abdomine introtracto, Vomitu, Vigiliis, & ſubſequente Paralyſi, aut Convulſione, aut lethargo, aliiſve peſſimis ſymptomatibus.

De Cauſis proegumenis.

Ex iiſdem colligentur *Proegumenæ cauſæ* hæ eſſe: Contagium, Febres male curatæ præcipue intermittentes; Temperamentum ſiccius; Vina varii generis, Vina plumbi preparationibus adulterata; plumbum ipſum; Temperies ſcorbutica, rheumatica, arthritica, podagrica, melancholica, atrabiliaria; pituita vitrea; ancor vitriculi &c. menſes ſuppreſſi, Lochiave; meconium; lac coloſtratum; Dentitio; venena varia; ſex rerum non naturalium abuſus.

De Cauſis procatarcticis.

Procatarcticæ cauſæ Ipſis numerantur, inhibita reſpiratio, ira, aliave animi pathemata, humores multum exagitantia; Victus in otio, ſoloque uliginoſo opiparues; nonnulla vina, anni tempeſtas autumnalis, hyemalis, borealis, ac præprimis pertinacior alvus.

De Cauſa proxima.

Cauſa proxima horum autorum quibuſdam cenſetur biliosa materies inter ipſas effuſa membranas; ſeroſa aliis; Convulſivus quibuſdam motus audit; aliis ſpaſmodicus; denique conditio talis, quæ ineffabili prorſus modo nervos adficiat.

De prognosi.

In prognosi dixere, Colicam hanc terminari, vel in mortem, vel in majorem, minoremve paralyſin; hanc quæ paralyſin morbi criſin eſſe, difficilem curatu longamque; vel etiam in lethargum nonnullam; ſæpe in Convulſiones, quæ eſſent lethales, aut ſecundum alios, alio quam alio tempore diſcriminis pleniores.

De Curatione.

Curationem vario modo varii aggreſſi ſunt. Conveniunt omnes fere in Enematum uſu: quæ *multa* plures; quæ obtinente natura *pauca prudenter applicanda* nonnulli; quæ *mollia, diſcutientia, eccoprotica*, fere omnes; quæ *fortia penetrantia*, unus alterve, præſcribunt. Pleriſque etiam, ubi plethora adeſt, & ferox malum, *Venæ ſectio* arridet, quam eandem tamen alii vituperant. *Purgantium uſum* quidam pareſios, imo, & mortis cauſis annumerarunt, nonnulli utcum-

utcumque *ſuſpectum* habuere ; alii eorumdem *ne meminerunt quidem* ; *Leniſſima* plerique præſcripſerunt, quidam *draſtica*. Emeticorum repetitus uſus tum in prophilaxi ; tum in curatione, ſuis non caruit encomiis. Quin nec deſunt Medici, qui res actu frigidas affatim commendendas, ipſamque aquam gelidam, intus extuſque adhibendam, imo nivem ventri obvolvendam audacter ſcribant. *Neurotica* in arte dicta a paucis commendantur. Laudarunt alii ſudorifera, quæ deteſtantur alii. *Balneorum uſus* encomio multorum gaudet, aliorum vero methodo exſulat prorſus. *Opium* ſuſpectum nonnullis, pareſios cauſa aliis, quibuſdam egregium remedium, ſed caute dandum audit. *Antiſcorbutica* fere omnes vocarunt in uſum. *Aſininum lac* laudibus apud nonnullas quam plurimis inſignitur. *Saponacea*, & *Balſamica* hinc inde præſcripta legimus. *Medicati fontes* ſua etiam laude haud caruere. Partes paralyticas ipſas *fricant* omnes *inungintque*; niſi quod unus aut alter totam frictionis, & inuntionis vim inſolum abdomen converti velit. Molliore ad fricandum materie utuntur quidam, penetrantiore alii; alii iterum naſturtio cum aceto fortiſſimo tuſo membra ante fornacem fricant. Commendatur ipſa partium paralyticarum cum urticis inſtituenda flagellatio.

Atque hæcce ſuffecerint, ut quæcumque ab antiquitate remotiore in hoc uſque ſæculum

circa hunc morbum dignoſcendum, curandumque notata fuerint, liquido conſtent. Multa profecto, eaque egregia, multi dixere; ſed confuſe adeo, & obſcure, ut expoſitionem variorum in eo obſervatorum phænomenon adæquatam, & juxta hanc exſpoſitionem formatam legitimam curandi methodum, fruſtra inquiſiveris.

Sed ſimul conſtat citatorum autorum quoſvis de Morbi tum natura cauſiſque, tum curatione, veri quidem aliquid protuliſſe; exactam vero ejus hiſtoriam Medicam exaraſſe, curandique methodum tradidiſſe neminem, immortalem ubique ſi exceſſeris *Boerhaavium*. Is quippe unus ex veris artis fundamentis pauca protulit, ſed veriſſima, quæ ſola viam ſternant, qua ii, quibus explicare phenomena, & curam legitimam tradere, animus eſt, incedant oportet. Hac unica via morbum pure analytice meditor tractare.

CA-

CAPUT II.

Exhibens Colicæ hujus Deſcriptionis & Curationis Methodices tractandarum ſpecimen.

§. I.

De Morbi Signis.

Si dolor fixus, plerumque ferociſſimus, prope umbellicum, cum inani prorſus applicatione Enematum, Epidematum, Cataplaſmatum, Remediorumque ore aſſumtorum, imo potius, cum dolorum augmento, cum ventris introtractione contra quam inaliis colicis obſervare contingit, cum Podicis ſæpe clauſura firmiſſima, & introtractione cum vomitu, febre majore minoreve, Pervigilio &c. *Colicam pictonum* vocat. Sin & Convulſiones accedant, brevique ſequatur major aut minor Paralyſis, eo audacius id ipſe: Nominis imponunt.

§. II.

Cauſæ proegumenæ procatarcticæ.

Antecedunt hanc Colicam 1. *Aſſumta*, eo *Venena*. Ita *Wepſerus Ramazzinus*, *Anonimus Amſtelodamenſis*, & in primis *Boerhaavius* ſtatuunt. Eſt que frequentior, quam paſſim credunt, hæc antecedens cauſa. Hinc Pictoribus, tot plumbi præparatis, aliiſque venenis, utentibus, ad-

modum familiarem affirmant. Quare *Boerhaavius* inter præcipuas morbi cauſas hanc ſtatuit 1. Quia, ut ait, frequens obſervatur iis, qui plumbo parando, purificando, fundendo in pigmentis utendo fictilibus Vaſis eodem incruſtandis, victum quæritant. 2. Quia frequentiſſima obſervata eſt hominibus Vino plumbi præparationibus adulterato, utentibus, aut olim uſis.

Accenſetur quippe plumbum Toxicis, quæ conſtringendo, obſtruendo, exſiccando cita, vel lenta morte perimunt. Sic *Boerhaave* Inſtit. §. 1143. Et fuſius hoc explicat, in Chemiæ part. 2. proceſſ. 171. Agens enim de Ceruſſa. „ Pulvis ille tenuis, inquit, inſpiratione ductus „ in pulmonem aſthmata creat, terribilia, inſanabilia fere, tandem lethalia. Si ore receptus deglutitur cum ſaliva, peſſimos creat „ morbos viſceribus, languores, debilitates, dolores, oppreſſiones intolerabiles, tandemque „ mortem. Tetra hæc mala at quotidiana, videntur apud eos, qui plumbum, quomodocunque tractant, maxime autem, qui album plumbi conficiunt. Caveant homines venenum „ quod odore carens, & ſapore tanto pejus afficit; quo irrepit tectius; nec ſe manifeſtat „ niſi indevictis jam corporibus.

Antecedunt 2. *febres* continuæ, intermittenteſque male curatæ. Plurimi autorum recenſitorum id paſſim affirmant. Manent hinc obſtructio-

ctiones viſcerum facile in dydropem , ſcirros &c. mutandæ: Manent hinc ſcorbutica diſpoſitio, ut pulchre notavit *Sydenhamus* , qui poſt peruviani corticis uſum, frequentes reperiit Hydropem, & ſcorbutum : quæ ſcorbutum attinent, ea mox explicabuntur.

Antecedit 3. quoque *diſpoſitio humorum Æris* ſcorbutica, Rheumatica, Podagrica, Melancolica. *Sennertus*, *Schenckius*, *Eugalenus*, *Anonimus*, & *Boerhaavius* ſive in morbi deſcribenda natura, ſive intractanda ejuſdem Curatione ſcorbutum maxime videntur incuſaſſe. Porro per quam ſimiles, & affines ſcorbuto reliqui mox adlegati morbi deprehenduntur; dicente ipſo *Boerhaavio* Aphor. 1490. „ Arthritidi, Podagræ, ſcorbutoque agnatus morbus „ Rheumatiſmus. Ita quidem, ut plurima ſyntomata habeant inter ſeſe communia, neque etiam in origine multum a ſe invicem diſcrepent. Qui proin apud pleroſque autores, & maxime apud magnum *Boerhaavium* ſingulorum horum morborum rite examinarit hiſtoriam, comperiet vel abſque Pictavenſis Colicæ facta mentione Colicam cum convulſione, paralyſi, &c. Inſcorbuti, Podagræ, Rheumatiſmi, ac Melancholie tradenda deſcriptione, delineatam eſſe. Quotquot etiam exempla adferuntur ab Autoribus, pleraque omnia demonſtrant in Prædiſpoſitione ſimile quippiam latuiſſe, quæque obſervavi ego, utique Vini uſui, ſpirituoſorum-

que, vel ſcorbuto, cive egnatis morbis, multum deferre debui.

Antecedit 4. *impedita perſpiratio*. Hanc cauſam *Citesius*, *Baglivus*, & *Anonymus*, allegant: ac peſſime eos affici, qui perſpirationem impeditam patiuntur in pedibus, multiplici exemplo *Baglivus* demonſtrat; teſtaturque experientia quotidiana pluribus hanc ob Cauſam Colicos dolores ſolemnes eſſe. Plurima ſcorbuticorum, Rheumaticorum, Arthriticorum, Melancholicorum Syntomata, ex impedita aut imminuta perſpiratione excuſcitantur, exaſperanturve. Videantur Autores, & maxime *Boerhaavius* ſuper his morbis. Unus *Sanctorius* hoc pluribus explicat Aphoriſmis. Hæc impedita perſpiratio vice fungitur procatarcticæ Cauſæ.

Animi pathemata, humores multum exagitantia, in procatarcticarum Cauſarum claſſe haud infimum obtinent locum. *Riverius* libr. 10. cap. 2. iracundi exemplo hoc confirmat. Ira in Melancholicis, Podagricis, &c. multum furens obſervatur ſolutos excitaſſe paroxiſmos. Novi quibus fere reſtitutis ira, vel ſubitus terror, dolorem Ventri conciliet ilico, mox artubus; motumque eorundem debilem per aliquot dies debiliorem reddat.

Victus in otio opiparus a *Piſone*, & *Anonymo* inter has Cauſas quomodo recenſetur, nec ſane immerito: accumulantur quippe iis hominibus alimenta minus apte ſubacta, & facile in aco-

acorem degenerantia, in Inteſtinis, adeoque anſamq; facile præbent naſcituræ colicæ.

Vinum, aliique valide ſtimulantes, atque aceſcentes potus huc referuntur a *Piſone*, *Wephero*, *Citeſio*, *Cratone*, *Riverio*, *Puerario*, *Anonimo*, *Boerhaavio*. Dictus *Helmontio* Ventriculi acor, & per Archeum ad artus demandatus, huc etiam referri poteſt. Vina acidum acrimoniam apta nata ſunt inducere; unde *Boerhaavius*, Inſtitut. §. 760. de acrimonia ex vinis acidis, aut acetis nata differens „ præ ceteris nimio „ uſu aſſumpta, ait acre acidum ſerum facit, „ unde Rheuma, Podagra, & ſimilia. Stimu- „ lantes liquores acrimoniam generant adhuc pejorem. Vina recentia obſervantur hic per quam noxia; quia multum adhuc poſſident gas ſilveſtris, nervis adeo inimici, & ſpaſmos, anſietateſque enormes ſæpe excitantis. Vina plumbatis maxime adulterata incuſant *Wepferus*, & *Boerhaavius*. Vina nonnulla acria auſteriuſcula at optimis autoribus vim peculiarem huic excitando morbo habere obſervantur. Videantur in *Miſcell. Academiæ naturæ curios*. Dec. 1. & 2. Obſ. 32. & a 4. obſ. 30. *Crato* quoque hinc colicæ apud *Moravos* cauſam deduxit, & ſcitè *L. Lemnius* lib. 1. cap. 15. de *occ. nat. mirac.* narrat Batavos ex vini Pictavienſis potu adeo moroſos reddi, ut uxores pugnis excipiant; a Rhenano autem aliove generoſo vino adeo blandos fieri, ut eaſdem oculis impetant.

Anni tempeſtas autumnalis, hyemalis, borealis cauſis accenſetur excitantibus. Naſcitur hinc impedita perſpiratio, & lentior per exteriora motus: hinc neceſſario major, iſque noxius, motus in interioribus, & acriorum alioqui exhaliturorum, retentio.

Tandem *Alvus diu pertinaciterque clauſa* a *Citeſio Anonymo* aliiſque excitans dicitur Cauſa. Ut enim Colicus dolor ſimplex oritur ſæpe a retentis, adeoque, & plus ſtimulantibus, excrementis, ita ex perſegni in Prædiſpoſitis hinc poterit pictonum Colica naſci.

§ III.

Prognoſis.

Prognoſis hiſce fere deſcribitur.

Colica pictonum ſi vel ſponte, vel facili opera ſolvi contingit, ſpatio 1. 2. ſeptimanarum tranſit inſanitatem.

Sæpe menſem unum durat alterumve, & necat: raro quod ſciam, citius occidit.

Aliquando vertentibus annis ſub hyemem redintegratur, idque quatuor, vel quinque ſibi ſubſequentibus annis.

Abiit nonnunquam in Lethargum.

Sæpe in convulſiones tranſit lethales.

Ut plurimum in Paralyſin ſupernorum, infernorumve, imo omnium artuum ſimul, abit.

Coli-

Colica cum ipſa Paralyſi ſæpius redintegratur per aliquot ſibi ſubſequentes annos.

Quin & in Hydropem mutatur poſt Paralyſin, eumque ut plurimum lethalem.

Colica aliquando Paralyſin comitem habet, ſine ullo dolorum remiſſu.

Vomitus perpetuus haud ſiſtendus; Pulſum intermiſſio, debilitaſque; Fœx alvina vel nulla, vel perlongum tempus pauca, dura, parva, alba, ovillorum ſtercorum inſtar; Convulſio; Læthargus; Cœcitas; Aphonia; doloris, poſt adhibita remedia, augmentum; Hydrops poſt Paralyſin; frequentia ſunt præſagia periculi in hoc morbo, vel mortis.

A plumbo a Vinis varia plumbi præparatione adulteratis, ſtrenue, diuque, in corpus acredine humorum magna, & inveterata laborans, ingeſtis, nata hac Colica; magni, & longi moliminis eſt Curatio.

In Corpore graviſſima Podagra affici conſueto, jam dudum ſtatis haud affecto temporibus, admodum mala.

Ulcuſculo nato in pede perpetuo manante, præcipue in podagrico, morbum levat.

Quæ recidivas habet plures, eaſque poſteriores prioribus graviores, fere lethalis.

Quæ diuturna, quæ cum perpetua ac perfecta deglutiendi retinendique impotentia, peſſima,

§. IV.

§. IV.

Inſpectio Anatomica.

Cadavera hoc morbo defunctorum exhibuere inter jejuni tunicas tumorem anſerini ovi magnitudine, ſynceram bilem, eamque æruginoſam, profundentem. Hunc *Milo* anno 1592. demonſtravit preſente *Citeſio*. At Morbi ſymptoma hic potius, quam Cauſa fuit; ut ipſa docent phænomena morbi. *C. Piſo* de coll. ſer. ſect. 4. Cap. 2. demonſtravit in ejuſmodi Cadavere copia haud parva ſeri encephalon repleri, ubi Cerebrum locatur; totum principium ſpinalis medullæ, nervoſque hinc inde in vertebras propagatos, in aqua plurima innatare: aperto demum cerebello, non ſolum ventriculum quartum aqua ſcatere, ſed, & ſubſtantiam ipſa eadem prægnandem, totamque imbutam. Hinc egregias Autor Morbi totius Cauſam proxima ſibi viſus eſt intellexiſſe, & ſyſtema ſuum de morbo hoc ex ſeri copia, & ſitu nato confirmaſſe. At pace Manium Piſoniorum dixerim hoc exin deduci non poſſe. Potuit quippe ſerum natum fuiſſe poſt Colicam, quando, reddito prius corpore paralytico, humida inertia, & vappida, ſolidaque flaccida, ſeri generandi occaſionem præbere potuerunt. Hoc longe videtur priore probabilius. Eſtque hic egregiorum Virorum in perſcrutandis Cadaveribus ſolertiſſimo-

ſimorum frequens error in morbi cauſam ſtatuant id, quod præter naturam in iiſdem detexere, quamvis id ipſum ſæpius effectus ſit, quam cauſa morborum. Idem judicium eſto de obſerv. VI. lib. I. *Boneti Sepuchr.* ubi cadaver poſt hunc morbum exhibeat Hepar magnum, & obſtructum, veſſicam felleam nigra bile turgidam, ventriculum humore viridi extenſum; Colon flatibus, duriſque fæcibus expanſum, Cerebrum, & medullam ſpinalem tenui linpha madida. Ut & de iis, quæ ibidem narrantur in ſect. 14. lib. 3. de plurimo ſero ſubpallido inter utramque meningem reperto. Sapienter ergo egregius *Wepferus* Meſenterii inflammationem in ſimili cadavere a *Spigelio*, & Meſenterii abſceſſum, totumque abdomen pure repletum a ſeſe detecta, nequaquam, ut morbi cauſas, ſed vel morbi, vel præpoſteræ methodi effectus recenſuit. Cæterum ſterilis admodum eſt Hiſtoria medica diſſectionis corporum hoc morbo defunctorum: ut cauſa proxima potius ſit ex morbi deducenda phænomenis.

§. V.

Cauſa proxima.

Ex quibus itaque elicitur *Cauſa proxima* colicæ pictavenſis eſſe ſenſim nata exſiccatio, rigiditas, contractio viarum primarum, maxime inteſtinorum; unde ſit, ut ultra vix admittant quid-

quidquam, tranſmittantque per lacteas aut alias abſorbentes venas; ut etiam contenta alimenta retineant, compingant, cumque ſua ipſorum fabrica ceu unam in maſſam coadunent.

Quidquid hanc exſiccationem, contractionemque producere poteſt, poterit *Cauſæ propioris* munere fungi; quod pag. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. allegatum fuit.

Quin hinc vera *Diagnoſis* Mali, ut mox in Cauſa proxima dictum. Porro hæc latius explicanda hoc loco venit.

§. VI.

Diagnoſis.

Diagnosis, inquam, ſponte patet. Namque acris in ſeroſa, craſſi in rubra ſanguinis parte effectus demonſtrat morbus. Hæc enim Acidi, ſalſi, & Alcalici per ſeſe ſolorum, & imprimis ſcorbuti, tum Acidi, tum ſalſi, tum alcalici, effecta eſſe magnus *Boerhaavius* ex ſolis, veriſſimiſque artis principiis, evicit. Ex tali humorum prædiſpoſitione intelligitur ſanguis fieri oleo balſamico orbus ſuo, ac proinde haud amplius poſſe per deſtinatas ab adorando Creatore machinas dimittere blandum illud, untuoſum, mucoſum ſmegma; quod alioquin tam pulcro effectu Œſophagi, Ventriculi, Inteſtinorumque internos inungat parietes; eoſdemque humidos, molles, facile mobiles, atque a pertran-

tranſeuntibus acrioribus ſervet immunes. Jam vero ſiccefcunt hæ partes, rigidiores, motuique naturali peragendo ineptiores fiunt. Nec magis mirabimur hunc ſcorbuti effectum, quam miramur articulorum crepitum, a defectu olei articulos illinientis, in hoc ipſo morbo obſervandum. Hinc vox aſpera fit, & rauca: ingeſta alimenta vix miſcentur, digeruntur, moventur, expellunturque ægerrime exprimis viis; nec niſi chyli tantillum per rigidiora, ac contractiora Lacteorum oſcula, penetrat; unde compacta tandem maſſa cum ipſis Inteſtinis in unum fere corpus coaleſcit. Atque hinc illæ lacrimæ! Quippe tota vis pectoris, & abdominalium muſculorum deſævit in unum Ventrem, ut materia noxia eliminetur. Pulcre notavit hoc *A. Caau Boerhaave* in tractatu de impetum faciente Hippocratis cap. 10. §. 454. „ Fœces „ alvinæ aggeſtæ irritant nervos, oritur inde „ conſenſus in muſculis egeſtioni dicatis; inde „ illorum ſpaſmodica, & violenta contractio: „ nec illi ſoli, ſed totum rapitur ad hanc a„ ctionem corpus in conſenſum, anima retinetur, „ clauſis viis, per quas ille cæterum liber tran„ ſit, tument venæ, imo vero brachiis, & cru„ ribus nixus eduntur. Dolores, & anxietates „ tunc oriuntur, humana patientia ſæpe adeo ſuperiores ut, (horreſco referens) violentas ipſi ſibi ægri manus inferrent, ni vel animo inſitus erga Deum timor, Religioque; vel ſaltem

tem prudens Neceſſariorum, aut Adſtantium cautela obſtaculo forent. Aucta hæc compreſſio in dolorem ſummum, levia eaque breviſſima tantillæ indolentiæ intervalla conciliat aliquando, inſenſilitate inducta præ nervorum compreſſione integra; ſed, ut dixi, momentanea ſolamina ſunt, compreſſione mox ſic laſſata, ut vividus dolor denuo percipi poſſit. Venena, ut plumbum, &c. quæ incraſſando, obſtruendo, exſiccando agunt, dubio procul eandem inteſtinis diſpoſitionem creant, imo pejorem, quam ſcorbutus. Spaſmé hinc non modo inteſtinorum, ſed & aliorum viſcerum inteſtinis nexorum, ventriculi puta, Omenti, Lienis, veſiculæ felleæ, Pancreatis, Renum.

§. VII.

Singulorum ſyntomaton accuratior dilucidatio.

Hinc *Vomitus* frequens 1. quia utraque Bilis, nec non Pancreaticus latex per inferiore ſpaſmo contracta, & chylo fæcibuſque repleta, impeditam offendens viam, per ſuperiora cogitur remeare. 2. Quia inteſtinis connexus ventriculus ab iiſdem quoque convellatur, contrahaturque neceſſe eſt 3. Forſan etiam quia hic viget illa inexplicabilis vis animali innata Corpori, quæ vomitu ſæpenumero promoveat reſtitandem, & nocituram in corpore materiem. Hærente in Ureteribus, Calculo, vomitus obſer-

ſervatur inſeparabilis , vim Diaphragmatis, ac muſculorum abdominalium totam, eamque maximam, in unum determinans ventrem inferiorem, ſeu Pelvim, peregrini hoſpitis pellendi, eliminandique cauſſa. Ex nervi octavi paris communicatione cum ventriculo, & Renibus explicant rem hancce Phyſiologi; quam eamdem rationenem, & hic loci obtinere Neurologi demonſtrant: at vero ut ingenue dicam, ſic facti a ſummo Numine, ſic conditi ſumus, ut vix dentur in corpore alicubi affecto partes, quæ angi ac dolere partem ſociam torpidæ, atque otioſe patiantur. Non ſolus ipſe hic morbus, ſed mirus Parturientium Nixus, totaque Animalium hiſtoria ſtupenda hanc in rem adferunt: quæ retuliſſe omnia hujus loci non eſt, foretque tedioſum.

Neque abeſſe *Febris* major, minorve poteſt, quia impedito plurimum per contracta, & compreſſa in abdomine vaſa humorum Circulo, reliqua corporis vaſa, longe plures copia humores, eoſque acres, excipere ac propellere coguntur.

Hiſce ſymptomatis aliquando jungitur in *abdomine convulsio*. Cum enim torturam ipſam ſuperans dolor plerumque hic naſcatur, qui proximus ad convulſionem gradus; utique vera harum partium, iiſque vicinarum, oritur Convulſio, ut toto corpore concuſſio fere ſentiatur: Quamobrem haud immerito a quibusdam

Con-

Convulſiva nuncupatur colica.

Ventris introtractio, contra quam in aliis Colicis, obſervatur. *Piſo*, & *Funcken* jam obſervarant hunc morbum cum *Umbilici quandoque introrſum contractione* contingere. Wepferus paucis, ſed accurate ſatis, hoc explicat. Nempe ſpaſmodice contracta imo, & convulſa inteſtina in ſpatium longe arctius molem contrahunt ſuam. Ita ut ego ipſe macilentiſſimi hominis ventrem examinans, inteſtina tenuia, dura, tenſa repleta, nec digiti minimi craſſitiem æquantia deprehenderim. Auget quoque hanc ventris introtractionem validiſſima abdominalium Muſculorum, adpellendam noxiam materiem contractio.

Tum & *maxima dolorum violentia in ambitu umbilici pauloque ſupra eumdem*. Quoties cumque hoſce martires exacte interrogavi, ſemper hunc locum præ cæteris torqueri, & dire ceu terebra perforari teſtabantur. Duplex autem Cauſa eſt I. Quia prementibus validiſſime Diaphragmata, ac muſculis abdominalibus, ſpina dorſi intra cavum abdominis multum eminens, reſiſtentiam preſsis introsſum inteſtinis majorem, quam equidem ad latera, creat. 2. Quia Colon tranſverſum hic decurrens, fœcibus inſigniter, ut mox patebit, infarctum, compreſſionem hanc, adeoque & dolorem, ſua & mole & duritie immane auget; inteſtinis jam adeo dolentibus, hic ceu duo inter prœla preſſis.

Alvus

Alvus obſtinatiſſima eſt I. quia in aridis, & glutine naturali deſtitutis inteſtinis, dudum cumulatæ, propelli impotes, hæ ferunt fœces. 2. Quia præ vi doloris acerbi, inteſtina, ut & vicinæ partes, magis ſeſe magiſque contrahunt. Wepferiana docent experimenta. In naturali ſtatu vis Diaphragmatis, & Muſculorum abdominalium, totaque animæ retentio, eo collimant, ut, ſuperata ſphinteris Ani vi, fœces corpore eliminentur. Hic quidem eadem vis abdominis & thoracis maxima editur; at vero tanta eſt, & inſuparabilis adeo, contractio inteſtinorum, ut prior illa vis quantumvis maxima, huic ſit longe inferior, adeoque inutilis, ac fruſtra defatigans.

Ani conſtrictionem, & quaſi ſurſum introtractionem, *Piſo* aliique notarunt. Id ipſum ego quoque in tribus, quibus ab initio adfui, obſervavi. Rectum quippe inteſtinum habet fibras longitudinales, & validiores & rubras, ut pulcre deſcribit *Veſalius* ligamenta tria coli tendinea ad rectum diſcedunt, dilatantur, explanantur, ſuper totum inteſtinum rectum; quod apud *Covvperum*, & *Veſalium* rite depictum. Modo nunc ponatur Colon Scybalis duris refertum violente dolere, contrahique in quantum poſsit, cum reliquis abdominis viſceribus quoque convelli; miri profecto nihil, quod per ſua tria tendinea, eaque fortiſsima, ligamenta, retrotrahat ipſum rectum, cujus longitudinales fibræ, ut dixi, ab tendineis coli ligamentis oriuntur.

tur. Ergo tunc quaſi diſparebit, Syphone vix aperiendus, anus.

Quæ interim poſt longa, & tædioſa molimina forte fortuna ſubin egeruntur *fæces*, eæ duræ ſunt, albeſcentes, in Scybala parva, ovillorum ſtercorum inſtar diviſæ. Duritiem habent a mora, quam traxerunt in inteſtinis, liquidiore interim parte per linphaticas, & præcipue per lacteas venas, hinc inde adhuc patulas, furtim ſubingreſſa. *Colorem* ex flavo album nanciſcuntur, eo quod bilis affuſio in duodeno retardetur, & verſus inferiora, oppletis omnibus, deſcendere nequeat. *Parvitatem* mutuantur ab inteſtini contractione. *Figuram* ducunt a contractis coli cellulis, quas ligamenta tria coli contracta formant.

Tum & *aſpera*, ſeu *rauca vox* pluribus fit. *Baglivi* obſervatio eſt, quam & ego veram in nonnullis deprehendi. *Citeſius* & *Milo* vocis *clangoſæ*, *ſtrepentis* imo *obmuteſcentiæ*, ſive *perfectæ aphoniæ* meminerunt. Hujuſmodi hominem & ego vidi *Raucedinem* facit 1. Defectus ſenſim, increſcens debiti hiſce locis glutinis naturalis, quo alioqui lubricitas eiſdem concilietur, & mollitudo. 2. Acer vomitus has partes continuo tranſiens, & quidquid muci naturalis reſiduum adhuc erat, omnino auferens, adeoque ſiccitatem capiti aſperæ arteriæ creans. *Aphoniæ* cauſam reor, quod jam tum in nervis recurrentibus paralyſeos futuræ ſigna prodroma adſint: Vel quod in plethoricis hoc morbo de-

cum-

cumbentibus imo, & cito plethoram in hominibus raptum cruoris violentiorem verſus ſuperiora, ut in hoc morbo fit, perpetientibus, ſanguis majori copia arterias ſubclavias, & carotides ſubintret; ac proin nervos recurrentes, aliorumve huc appellentium nervorum ramulos comprimat.

Amauroſis quibuſdam fit, compreſſio forte Nervo optico ab arteriis ipſum immediate ambientibus, & arteria per mediam ejus ſubſtantiam decurrente, admodum infartis: quippe ſupra conſtitit, præ arteriarum ex aorta deſcendente oriundarum compreſsione, multo plus cruoris per ex arterias aorta abſcendentes ſuperiora petere oportere.

Vigiliæ fere perpetuæ adſunt, oriunturque a violentia dolorum totum genus nervoſum præcipue in abdomine afficientium. 2. ab inſigni acrimonia cereboſos nervos perpetuo vellicante. De his vigiliis mox latius.

Convulſiones totius corporis ſæpe adſunt perennante, vi morbi, eæque violentiſsimæ, fiunt, 1. a Vigiliis ut paſsim in morbis acutis obſervare eſt. 2. a repletione nimia vaſorum Encephali, Arterioſo Cœliace, Hepaticarum, Renaliumque, Arteriarum ſanguine retardato plurimum, impedimentoque. 3. ab humorum acredine nervos perpetuo irritante. 4. a communicatione quam abdominales partes cum toto corpore habent, ope nervorum octavæ conjugationis, & intercoſtalis.

Poſt hæc multis accedit, pregreſsis ut plurimum validis artuum doloribus, *Paralyſis incompleta*, cum *perfecta* motus abolitione, vel *imperfecta*; artuum *Supernorum* ſolummodo, vel & *Supernorum*, ſimul & *infernorum*. Quibuſdam oborta Paralyſi, ſævus colicæ dolor remittitur; nonnullis autem omnino exſulat: quam ob rem allegatorum autorum plurimi eamdem cenſent *Colicæ Pictonum Criſin*. At vero perperam ſic cenſuiſſe reor; cum plures viderim, quibus poſt Paralyſim colica, qua olim ſævitie, perennaret, aut ſi quandoque remiſiſſet pauxillum, mox ferox recrudeſceret. *Incompletam* dixi *Paralyſin*, quia ſenſus nec non modicus tepor plerumque adſunt, imo obſcurior nonnumquam motus ſupereſt; licet hic integre ſæpe perierit. Si contigerit nonnullum ſupereſſe motum, obſervatur labes ut plurimum herere ad Extenſores digitorum communes, ad Supinatores, ad Pollicum extenſores, abductores, adductores. Sin & pedes occuparit Paralyſis cum ſuperſtite tantillo motu, advertitur potiſsimum in muſculis crurum extenſoribus: ita quidem ut ægri decumbentes varios quidem motus dextrorſum, ſiniſtrorſum, ſurſumque, genua movendo, peragant, at extendant ægerrime; inſiſtere vero iiſdem, eave ſaltem movere erecti nequeant, & , ni ſuffulſeris, genuflectant, natibuſque humi concidant. Ubi autem perfecta in artubus abolitio motus, miſerando hercle! Spectaculo, artus, veluti emortuæ partes, trunco hærent; & re tan-

tandem pluſculum in melius vertentem, aliqualis, iſque admodum obſcurus, motus paulatim deprehenditur in humeris atque phemoribus, dum interea perſeveret, pertinax diu, Paralyſis iiſdem, quas mox narravi, partibus. Tum ſimul *Eminentia duriuſcula*, mobilis tamen plerumque ſex, ſeptemve ut plurimum lineas lata, obſervatur prope carpum, in medio Metacarpo, eo precise loci, ubi Radialium externorum tendines capitibus oſsium Metacarpi inſeruntur, extenſorque digitorum communis annulari ligamento emerſit.

Horum phænomenon explicationem ſubnectere adnitar. Ac primo quidem humorum acredine non emendata, imo præ morbo inveteraſcente vehementer aucta, veri illi ſcorbutici dolores artuum, quaſi ima oſsium meditullia obſidentes, percipiuntur, & oleum celluloſum in artubus conſumunt. Deinde cum tot diebus, tot ſeptimanis, imo tot aliquando menſibus, miſerrimus æger torqueatur, nec toto illo tempore fere ſumere quidquam, quod non actutum revomat, poſsit; profecto novi chyli vix tantillum inquilino admiſcetur ſanguini. Acrior hinc fit in dies ſanguis, vix quidquam ultra secernit, fere nullos ſpiritus gignit, quam ob cauſam omnia collabaſcant neceſſe eſt. Quin & ſuboriente paralyſi partes a ſpirituum promptuario remotiores longe minus ſpirituum adipiſcuntur; unde, & artuum extremorum major intelligitur paralyſis. Quam ob rationem porro expoſitis

 supra

ſupra muſculis præ cæteris manifeſta ſit, difficilioris indaginis eſt. An nervus Brachalium tertius, qui *circumflexus* vocari poſſet, & ab *Euſtachio* Tab. 19. n. 2. 45. & Tab. 20. n. 2. 43. delineatur, nec non a *Columbo* libr. 8. rite deſcribitur, lucis nonnihil afferret? Is quippe tranſit sub axilla, & circumflectens ſeſe circum poſteriorem oſsis humeri partem, capita Tricipitis Extenſoris perforat; deinde emergit in cubitum, longoque itinere procedit ſub ſupinatore longo, ac tandem emergens fit ſubeutaneus in dorso manus, inque plures dein digitos terminatur. Num ergo tortuoſum iter, quod præ cæteris hicce nervus metiri cogitur; & partium, quas circumire, perforareque debet, rigiditas, obſtaculo ſint, quo minus ille ſpirituum, præ reliquis, excipiat? At vero cur Paralyſios in pedibus ſimilis deprehenditur modus? Certe Nervus cruralis, quem antequam inguine egrediatur, Iliacum vocant, ortus ex tribus, vel quatuor nervis vertebrarum, lumborum, per medium Pſoam transeuns, ad femur pergit, inque muſculus arteriores femoris ac tibiæ diſpeſcitur. Utique hic nervus in hac abdominis tortura, & coarctatione vehementer comprimatur neceſſe eſt, hincque præ ceteris intelligitur languescere. Porro *eminentia mobilis* qua de dixi in metacarpo hærens, videtur dicenda *vitioſa mutatio* membranæ, ipſum digitorum extenſorem involventis. Hæc tamen motui exercendo plerumque non officit; cum plures viderim, qui

quar-

quarto, quintove poſt ſanatum morbum anno, ſuperſtite hac eminentia, ſubtilioribus motibus manu exercita peragendis omnino eſſent. Non recordor ullibi hujus tumoris ad carpum in paralyſi me mentionem legiſſe, niſi apud ſolum *Platerum* in prax. tom. 1. pag. 300. qui cum oriri cenſet, vel ab extenuatione circumjacentium partium ſolis prominentibus opibus, & jam majorem præ ſese ferentibus extuberantiam; vel etiam a Callo, Nodove, hic loci frequenter enato: verum tom. 3. pag. 209. 210. cenſet nodos hos immobiles eſſe, quia ſubjectis oſſibus inſiſtunt firmiter, eoſque ſi articulos occupent, motui eorumdem obeſſe. In binis hominibus tumorem hunc primo mobilem, deinde immobilem, deprehendi, eumque motui aliquantulum officere; in reliquis inveni mobilem, nec motus turbantem. Magnus *Boerhaavius* brachiorum Pareſin explicat ex communicatione, qua cum nervis per abdomen diſperſis comunicent in collo nervi brachiales. Quid porro eſt, quod hacce communicatione Nervi octavi paris impertiuntur brachialibus? Vel qua ratione per octavum dolore agitatum, creare Paralyſin nervis brachialibus, cum ſeſe communicantibus poteſt? Et quomodo tunc peculiaris pedum explicanda Paralyſis? An quia cerebrum tanta ſpirituum copiam in principio abdominalibus largitum partibus, ut deinceps Nervis brachialibus ſpiritu replendis prope impar ſit? Hoc iterum vix admitti poterit, cum in ampliſsimo viro poſt

colicos dolores admodum mediocres, dira tamen & diuturna Paralyſis ſubſecuta ſit. Imo, citra notabilem doloris paroxyſmum, in alio manuum pareſin obortam vidi: ſed ambo hi erant omnium macilentiſsimi, & peſsime ſcorbutici. Profecto infinita ſemper reſtabunt, hanc in rem diſquirenda. Mutuum Nervorum commercium adeo mirum ſummus Creator fabrefecit, ut nos, miſelli homunciones dies, noctéſque illud rimati, magis intelligamus, magiſque quot, & quanta ſint quæ ignoramus. Forſitan tamen prior explicato, quam etiam ex *Boerhaavi*, id eſt naturæ ipſius, principiis dedi, nonnihil veri habere deprehendetur.

Tandem pro malorum cumulo *homines conſumpta omni ferme pinguedine*, *ſceleti inſtar*, *emaciantur*. Ratio 1. eſt, Miſsio ſanguinis, validaque humorum ſubductio ope fortiſsimorum purgantium, & enematum, quæ ſæpe perperam fit ad alvum continuo ſollicitandam: hinc fit ingens humorum per inferiora amiſsio, interea dum dura illa huic morbo propria ſcybala perpetuo adeſſe, & in liquidioribus fœcibus sæpe fundum petere obſerventur. 2. Quia ab prædominante acrimonia dudum defuit corpori oleum illud, quo alioqui pingueſceret. 3. Quia in hoc morbo homines tanto tempore alimenti vix quidquam ſumere queunt. 4. Quia vigiliæ perpetuæ adſunt. Recte enim *Ovidius*: „ *Attenuant vigiles corpus miſerabile curæ*. „ Nam præcipuam cauſam ponunt emaciationis.

Vigi-

Vigiliæ auctæ, & protractæ perſpirationem augent, tenues difflant ſpiritus, corpora exſiccant. Sequitur hinc humorum tum incraſſatio, tum acrimonia, ſtimulantur hinc ſolida, unde motus augetur, febris oritur, calor, ſolidorum detritus, bilis exaſperatio, bilis atræ generatio, agitatio, evacuatio: hinc triſtitia deliria, phantaſia: quæ pulcre tractantur apud. *A. Caau Boerhaave* in tract. doctiſsimo *de impetum faciente*. Concurrentibus itaque his quatuor cauſis, ceſſat tanti marcoris admiratio. Interim hoc notant Autores, quod pingue manuum, pedumque hic ita præ ceteris pereat, ut nudis fere oſsibus hæreant rigidi tendines, emaciatique lacerti. An ratio eſt, quod manibus, ac pedibus plerumque minor pinguendo adſit, hancque ob cauſam conſumta illa majorem extenuationem præ ſeſe ferat? Difficilis explicatu nodus hic foret, ſi paſsim obtineret caſus: at vero quoſcumque ego vidi, & examinavi, in iis eorum nihil; at in pleriſque corporis partibus ſummam ubique macilentiam deprehendi. Sed nonnullis fere totus Deltoides præprimis periiſſe videtur. Num id a decubitu? Cæteroqui muſculi vix perire videntur, etiam in ſumma Phthiſicorum macie: collabaſcunt tantum, & fibris fibræ accreſcunt, conſumpto oleo vaginæ, involventis totum muſculum, & ſingulas fibras.

§. VIII.

§. VIII.

Curatio, ac primo quidem, quæ natura ſit.

Ad curationem quod attinet, ea attentionem requirit ad ea, quæ, incognito morbi remedio, vel quæ deficientibus Medicis, artiſve adminiculis, obſervata ſunt ſponte fieri, & prodeſſe: Hæc dedere primam lucem artifici, quam juxta curam derigeret. Hæc illa magna ſapientia, abſtinentia, continentia divi Hippocratis in cura Morborum. Obſervabat ille ſemper quid ægro acciderat decumbenti, ubi artis auxilia non aderant. Hoc quæ fundamentum haud minimum medicinæ inveniendæ, & deinceps in artis formam ducendæ, fuit.

Primo itaque profuiſſe obſervatur ſpontanea, eaque copioſa, ac diuturna alvus. 2. Menſes, 3. Hæmorrhoides, 4. Narium Hæmorrhagia, 5. Sudor.

F. Citeſius, opere antea citato, notat quod „ Si Alvi ſpontaneum, & liberale profluvium „ accedat, omnem Paralyſeos, atque Epilepſiæ, „ reliquorumque graviorum ſymptomatum, oc- „ caſionem præripiat, aut quod rarius fit, „ Hæmorrhois, vel menſtruum copioſus fluat. „ Quas tamen evacuationes ſi in violentia morbi, in decurſu ſuo ſiſti contigerit, morbum eo atrociorem reddere animadvertit. *Piſo* ſudores memorat, & Hæmorrhagias, quæ hos colicos dolores nonnumquam ſolverint.

Nam-

Namque alvi torpor quo citius in fluorem liberalem mutatur, eo brevioris, tutiorisque ſpes curæ eſt. Significat quippe ſpaſmum ſolvi, atque ex affuſis humoribus inquilinis corporis, vel etiam ex potu aſſunto, & retento fœces liquidas reddi, aptaſque quæ expellantur. Eſt ejuſmodi Diarrhæa in cauſa, ut, evacuatis inteſtinis, liberiora jam fluctuent lacteorum oſcula, utque denuo ingeri alimenta, ſubigi, digerique, & intra humorum maſſam duci commodius queant. Hoc præeunte profluvio, poterit pergere Medicus ad ea, quæ naturalem mollitiem inteſtinis reſtituant, humorum debellent acrimoniam, & novo chylo ſpoliatum exſaturent cruorem. At vero mite admodum oportet eſſe hoc colicæ genus, quod ſic ſolvi contigerit, ut ex cauſæ proximæ explicatione facile quis deducet; rarioreſque fuiſſe, qui ſic ſoluti ſint, caſus, concludere fas eſt.

Cæteras evacuationes quod ſpectat, hæ procul dubio utiles eſſe poſſunt, ſi conſiderentur abunde id facere, quod cæteroqui S. M. Nam largus Menſium, largus Hæmorrhoidon fluxus, abdomen, ipſaque inteſtina, plurimo exonerant cruore, aptiuſque ſpatium vel alvo ſpontaneæ, vel Enematibus conciliant. Narium Hamorrhagia onuſtum cruore Encephalon liberat; quo amauroſis, ſurditas, deliria, convulſiones, futura præcaveantur, nata vero brevi ſolvantur. Sudor obortus craſſos docet attenuari jam humores, aptoſque, qui evacuentur, red-

reddi: ſed oportet liquidi boni plurimum jam aſſumptum eſſe, retentumque, & cum humoribus miſtum, atque ſubactum: alioquin enim ſudor minime levans, sed morbi augens cauſam, foret.

Verbo itaque dixerim raros admodum exiſtere caſus, quibus hæ vacuationes contigerint, & uſui fuerint, ut ſponte fatentur qui eos caſus tradidere Autores, ipſaque proxima morbi cauſa docet. Morbus plerumque natura major eſt, longeque pertinacior, quam ut hiſce evacuationibus judicetur. Qui vero ſic judicati ſunt, hos equidem veræ colicæ pictavenſis appellatione inſigniendos minime autumo: acutas potius febres ex inteſtinorum, aliarumve contentarum abdomine partium, inflammatione natas, fuiſſe reor; quibus ejuſmodi evacuationes ſalutares & criticas extitiſſe, poſt ipſum Hippocratem per omnia deinceps ſæcula Medentes obſervarunt. Optimas tamen haſce evacuationes eſſe in vera Pictonum colica, ut ſoluti aliis viis morbi ſigna, vel ſolvendi adminicula, ultro fateor.

§. IX.

Curatio quæ arte fiat.

Colica pictonum requirit citiſsime validiſsima remedia, quibus cauſa proxima, quam pag. 28. explicavimus, tolli queat.

Si itaque vires validæ ſint, V. S. inſtituatur, eaque pro rerum repetatur conditione, ut humorum appulſus verſus ſuperiora tollatur, præcavea-

caveanturque ſequuturæ alioqui Amauroſis, Aphonia, Convulſio.

2. Venter mox involvatur Epithematibus paratis ex lacte dulci, cui ſapo Venetus, & herbæ leniſsimæ ſtimulantes. V. G. Sambuci, chamomillæ, meliloti, flores, folia hederæ terreſtris, meliſſæ, &c. ſi haberi queant, recentes, intabuere: vel etiam cataplaſmatibus, quæ, cum farinoſa & mucilaginoſa parte, etiam hoc leniſſimo Aromatico ſtimulo gaudeant: ſcopus enim horium eſt emollire omnia, & humectare, tum etiam blando, ac grato ſtimulo leniſsimum motum inducere. Hoc modo nupta farinoſis aquoſa, calide adhibita fibras, ſpaſmo conſtrictas humectant, fovent, laxant: his parca manu juncta leviſsime ſtimulantia, lenem motum fibris inteſtinorum conciliabunt, quo ille incluſum fugent hoſtem. Nec eſt quod quis dubitet, num illa ſeſe per abdomen penetrent. Vis emplaſtorum ventri applicatorum, nota omnibus, hoc demonſtrat maximo ſi ventrem gracilem eſſe contigerit, quod paſsim in acri temperamento obtinet. Arthanitæ unguentum manifeſto noſcitur externo applicatu emollire infarctum abdomen, alvum ſollicitare, expellere vermes. Verum incaſſum adhibebuntur omnia, ni ſimul ore, anoque, data &c. explicata remedia duras fœces exſolverint. Hinc omnia externa ſimul applicanda, internaque auxilia.

3. Itaque Enema paretur emollientiſsimum, ex decoctis Altheæ radicibus, floribus, foliis; vel

vel maxime ex tepido lini oleo, quod tam egregie contractas fibras laxat, & duras emollit fœces. Hujuſmodi clyſma ter, quater, quinquies, ſexies 24. hor. ſpat. eſt repetendum; etſi oleum vix conſpurcatum exierit; nam *aqua cavat lapidem non vi, ſed ſæpe cadendo*. Ani conſtrictio prudentem requirit artificem, qui enemata injiciat, poſcitque utilitas modicam injiciendi liquoris copiam, cum alioqui, præ conſtrictis abdomine, & inteſtinis, vix immiſſus elabatur, nihilque afferat opis: Unc. ergo ſit quinque, ſex, ſeptemve. Juvat quoque tepidæ vapori corporis inferiora exponi ani relaxandi gratia.

4. Ore ſumantur ut ut reluctante vomitu, remedia emollentiſsima, quibus dicta in arte Eccoprotica jungantur. Manna, & caſsia hic uſui ſint. *Caſſiæ* pulpa innoxium purgans, ſolvens non turbans, (niſi quandoque in Hyſtericis, ut *Ballonius* advertit,) ipſarum puerperarum purgans audit; quia his mire confert, quæ ab aggeſtis induratiſque fœcibus ultimo graviditatis tempore male torquebantur. Mitis adeo caſsia eſt, ut *Sanctorius* experimentis edoctus pronuntiet, ab ea perſpirationem non diverti, nec vires lædi, ſed ſolum inutile pondus a corpore auferri, aphr. ſect. 1. n. 58. *Manna* in Calabria ex orno ornogloſſo, fraxino, exſudans, huic ſimilis eſt, sed majori doſi exhibenda. Hæc deſtillatione reſolvitur in oleum, & ſalinam partem: unde conſtat eſſe & oleo, & ſale compoſitus *verus* ſapo, abſtergentis, ſolventis, lubri-

bricantis quid habens. Nonnullis inſtar jalappæ potenter, ſed blande, ſolvit alvum. Si itaque *Caſſia*, vel *Manna* ſocientur cum decocto v. g. *Petri Foreſti* dicto, quod videſis apud *Foreſtum* lib. 24. obſ. 23. vel cum decocto *Altheæ*, *Graminis*, *Scorzoneræ radicum*, *Taraxaci* totius, &c. habebitur optimum demulcens, emolliens ſolvenſque remedium. Quamvis ſemel, iterumque nauſeabundi *ægri* illud evomant, magno tamen animo pergere conentur, cum repetito uſu commodius poſt hac retenturi ſint. At parca manu eccoprotica ſolventia exhibuiſſe frugis vix ullius erit, unde liberali admodum exhibere illa oportet. Pintæ decocti, duodecim horarum ſpatio abliguriendæ iij. iv. Mannæ, vel ij. iij. caſsiæ uncias addito. Mannæ autem primas paſsim deferimus, quia minus nauſeabunda, ubi diluitur quam quidem flocculenta caſsia.

Sin vero hæc ſcopo minus ſatisfecerint, penetrantiora mox iiſdem jungantur, v. g. Folia *Sennæ* ad dragmas vi. vel unciam integram. Veteribus laudabantur folliculi ſennæ, quos & Galli foliis præferunt, tamquam minus torminoſos foliis nos utimur. Paſsim præſcribimus *Aſiaticam Alexandrinam Sennam*, foliis acuminatis, utpote *Italica* obtuſo folio præſtantiorem. Sed nauſeam illa plerumque creat aſſumenti; quam celeberr. *Boerhaavius* additis *Betonicæ Aquaticæ*, ſive *Scrophulariæ quartæ* fibroſe dictæ foliis egregie emendari cenſent. Acta Pariſina idem habent. Habet equidem ſatis nauſeo-

ſeoſum hæc ſcrophularia ſaporem, ac lenem acredinem copioſe mucagini unitam; ſed *Sennis* ad quartam partem addita, nauſeoſum earumdem ſaporem, hoſtemque nervis acrimoniam, multum emendat. Id autem utilitatis involvendone, an alia peculiari ratione præſtent, non determino. Quod ſi *Scrophularia* deſit, *Fœniculi* ſemina addita quoque nonnihil proſunt. Ejuſmodi decocti unc. ij. aliquando integris triduis, quatridiuſve, quavis hora dare oportuit priuſquam alvus ſoluta eſſet; etiamſi Enemata continuo applicarentur. Uſum tamen horum remediorum pertinaciſsimum poſcit negotium, donec tandem alvus obaudiat; quandoquidem ſegnius tractata ægritudo, mox peſsimis ſtipetur ſynptomatis.

Contingit aliquando ut & præ horrore naturali, vel præ egrorum moroſitate, vel etiam præ invincibili nauſea abſoluta ſit ingerendi decocti impoſsibilitas. Hujus proin loco ſubſtituuntur Pilulæ, paratæ ex *Gummi Ammoniaco*, *Rheo*, *Sapone Veneto*, *Sale neutro &c.* quæ, ubi ptiſana, aliove idoneo facile ſumendo vehiculo ſumuntur, etiam humectandi, emolliendi, diſſolvendi, blande ſtimulandi vi pollent egregia, & peculiari acrimoniæ e directo opponuntur. At ut decocti laxantis, ita & harum pilularum aſsiduus eſto, & copioſus uſus, ut dragma una alterave ſingulo Nucthemeti ſpatio abliguriantur. Harum tamen incertior eſt, quam decocti eventus.

Dum igitur ſic internus venter externuſque labo-

laborioſo opere emollitur , laxatur , ſtimulaturque blandiſsime, dum induratarum fæcum pars emollita ſolvitur, & liquefit; alvus primo prodit in ſtercoria materie ſolutiore gerens multa, exigua, dura, albeſcentia, rotunda, ſcibala: quæ ſcybala lapſu temporis eo prodeunt rariora, quo ægrorum res magis magiſque in melius vertuntur.

5. At vero cautela, numquam negligenda, horum ſub usu requiritur. Vigilias quippe adeſſe perpetuas dixi, earumque tum originem, tum effectus, expoſui. Vomitum quoque vidimus ſæpe impedimento eſſe, quominus apte ſumi tum alimenta, tum medicamina, queant. Tandem conſtitit genus nervoſum immani dolore ſic ſæpe affici, ut convulſione torqueatur. Hinc ſumma exſurgit *Opii* exhibendi neceſsitas, cum ſponte pateat illud his tribus indicationibus ſatisfacere. Nec eſt quod alvi pigritia ne hinc oriatur quis timeat: cum conſtiterit ſatis, abundeque opio ſic diſponi ventriculum, ut nauſeoſa aſſumta commodius retineat. Egregius *Sydenhamus* in *Scedula monitoria* & pluribus aliis locis, ſi vomitus in paſsione iliaca medicamenta purgantia reſpueret, audax Paregarica dedit, &, re id poſcente repetiit, donec ventriculo purgantia admittente, & retinente alvus poſthac demitteretur. Opium quoque antiſpaſmodicorum princeps ſpaſticam nervorum contractionem egregie ſolvit. Hinc gr. unum alterumve 24. horarum ſpatio, pro majore mino-

reve neceſsitate, poterit propinari.

6. Ex uſu erunt Epiſpaſtica fortiora pedibus, veſicantia cruribus, applicata. Methodus Aſiaticorum, Japonenſium, Javanenſium, &c. in perſanandis colicis uſtione, acrium applicatione, punctione, dolorem in ſanis partibus felici rerum ſucceſſu excitans, abunde hoc probat. Vid. Nobiliſsimi *Gerardi van Svvieten*, Romanorum Imperatricis Hungariæ, & Bohemiæ Reginæ, Primi Medici, & Protobibliotecarii, commentarium in §. 650. aphoriſmus *Boerhaavii* ſicque forſan Hippocratis aphoriſmus 46. ſect. 2.
„ Duobus doloribus ſimul obortis, non in eo-
„ dem loco, vehementior alterum obſcurat, in-
„ telligendus eſt.

7. Vinorum uſu ægris hiſce minime interdicatur, ubi malum remitti nonnihil cœptum. Docuit hoc, & ipse rerum eventus, & ratio. Vir olim Podagricus, & jam colica pictonum dire tortus, bis ter de die hauſtum vini calidum largiorem, me inſcio, hauſit, nec detexit rem, niſi invado conſtitutus. Alter itidem vino alto Gallico utebatur, poſt quam alvus per aliquot dies ſolutior contigiſſet. Rei gnarus tamen diſsimulans, cavi ſedulo ne darent quid nimis. Videbam hoc auxilio Rheumaticam, & Podagricam materiem diſponi, ut blanda diaphoreſi eliminaretur; corpore prius liberiore alvo gaudente, & liquidis plurimis irrigato: conciſas quoque vires hinc reſtaurari citius, & ventriculi debilitatem ſic emendari, ut appetere de-

re denuo ille, ſubigereque alimenta, & digerere poſſet.

8. Plerumque fit, ut alvo ſat belle fluente, dolores tamen vix remiſsi recrudeſcant. Nempe ad minimam quietem grandioris molis ſtercoreæ materie, vel alimenti durioris, prioris ærumnæ renaſcitur imago; eaque, ni prompte medeamur, recidivam brevi creat. Hinc ex paragoricis, & laxantibus alternata ſeries juvat; & tum mox antiſcorbutica erunt in opem vocanda. Acrimoniam enim ſcorbuticam, eamque in primis aceſcentem frigidam, inter morbi prœgumenas cauſas locavimus, & fœcundam recidivæ expoſuimus matrem, radices Lapathi acuti, Bardannæ, Taraxaci cum tota planta, Scorzoneræ. Herbas Becaburgam, Naſturtium aquaticum, Trifolium aquaticum, Fumariam, Meliſſam, &c. forma ſucci expreſsi, decocti, conſervæ, &c. parandas, dare jam expedit. Naſturtium hortenſe, Raphanum, Raphanum ruſticanum, Cochleariam, Eriſimum, Sinapi, Allia, Cæpas, & id genus plura, ſtudio ommittimus, utpote ſtimulo nimio tenera vaſa forſan læſura. Quippe ineſt lenioribus Antiſcorbutis dictis herbis verus ſapo, ſeu vis blanda ſaponacea, oleo, ſeu mucagine conſtans; & ſale volatili: Hinc vero uſu deprehenduntur craſsiorem in ſcorbuticorum humoribus partem ſaponacea virtute ſolvere, tenuiorem oleoſo lentore incraſſare, & ſale ſuo alcaleſcente, unito cum ſale aceſcente humorum, neutrum componere ſalem,

 hac-

hacque ratione funditus eradicare ſcorbutum.

9. Interea vero dum ſum eorum uſu ſpirituum tumultus, ſpaſmi hinc inde Borborygmi, & flatus fiunt, maxime quidem in iis, qui nimia ſpirituum mobilitate olim laborarunt; lenia quandoque neurotica paregoricis juncta propinentur, quibus inordinati motus redignatur in ordinem.

10. Porro debili manente corpore, etiamſi expoſita methodo omnia perbelle procedant, roborantium uſus poſcitur. Frequens enim hæc debilitas ſolidorum tum a curata pictonum colica, tum a ſanato ſcorbuto, reſidua. Capparis, & acetoſæ radices, tamariſci, & Kinæ cortices, ferrum, vina auſtera nigra, & rubra vitia ſolidorum emendant, ut antiſcorbutica fluida correxerant. Quin aquæ ſpadanæ cæterique medicati fontes ab allegatis laudati Autoribus, ſummi uſus ſunt. Sic tandem curati plerique recidivis carent, ni mores abtineant antiquos. Interim tamen alvi ſemper ratio habenda eſt maxima; cum exſiſtente illa, vel paululum ſegniore, ilico veteris mali, ceu reliquiæ animadvertuntur, & forſan futuri mali ſemina. Hinc enemata, vel eccoprotica adhibeamus, ut illa porro reſtituatur. Hanc monelam aſpernati deplorabimus feri negligentiam.

11. Ubi vis morbi aliquantum deferbuit, emollientium ventri applicatorum parcior ſtimulantium vero, & roborantium, liberalior fit uſus, ut alvo jam libera inteſtinorum fibræ

magis

magis ſollicitentur magiſque, quo in contentam, & de integro jugiter appellentem materiem, ſtabili agant opera; ne umquam noxiæ collectiones denuo alicubi figantur. Quin etiam quo roboris plus hi nervi naciſcuntur eo citius, atque felicius Chylopoieſeos, & inteſtinorum vitia reſtituentur in integrum. Fumus aromaticus nervis amicus, maſtiches, mirrhæ, olitani, thuris, ſarcocolle, benzoin, cadani, ſtyracis calamitæ pannis exceptus laneis, optimi uſus eſt Emplaſtra ex ſimilibus toti ventri applicita egregia præſtant.

10. Sin autem vel præ in mali, vel pro methodo præpoſtera adhibita, paralyſis ſuboriatur; hæc præter antiſcorbutica, præter roborantia, & etiam præter nervina dicta toti applicata abdomini, requirit quoque attentionem ad reſoluta membra. Quamvis enim abdomen, proximam mali cauſam continens rite curatum ſit, manet ſæpe labes in artubus non niſi longo poſt modum tempore devincenda. Hinc ipſis vitioſis membris nonnulla eſt facienda medela. Fit hæc vel nervum huic parti proſpicientem loco idoneo (ubi etſi remotius minus tamen tecte hæret) fricando, motitando, concutiendo, vellicando afficiens; vel ipſam paraliticam partem, varie agitans, loca porro idonea ſunt.

A. ad *lumbos* unde tot nervi varii egreſsi, una cum nervis anterioribus oſsis ſacri componunt magnum illum nervum Iſchiadicum: unde præterea ſcilicet ex tribus quatuorve lumborum

ver-

vertebris nervi oriuntur, mox compoſituri nervum cruralem.

B. Ad *Nates inferiores*, ubi gluteorum maxima jam decreſcit craſsities; ut ut enim adhuc ſat profunde hæret Iſchiadicus nervus, tamen actio penetrantium remediorum eumdem afficere obſervatur, præſertim cum plurimis ejus ſurculis ad exteriora pergentibus, vis applicatorum ipſo cum nervo communicari queat.

C. In *Poplite* paulo ſupra binos condylos oſsis femoris; ubi a compreſsione alterius ſupra alterum genu ingratus ille ſtupor oritur.

D. In *Inguine* ubi cruralis nervus prodit foras.

E. In *Collo* ubi nervi brachiales ex vertebris prodeunt. *Galenus* lib. 1. de loc. aff. cap. 5. narrat *Pauſaniam Syrum*, qui in tribus digitis ſervato motu ſenſum amiſerat e medicamentis ſatis idoneis per 30. dies impoſitis, nihil opis ſenſiſſe. Hunc cum *Galenus* a vehiculo indorſum prolapſum eſſe ſciret, ſuſpicatus eſt, num forte in primo exordio nervi, poſt ſeptimam vertebram oriundi pars quæpiam ab ictu inflammata fuiſſet, nunque ſcirrhoſam haberet diſpoſitionem. Ideoque illud ipſum medicamentum a digitis amotum, illi ſpinæ parti appoſuit; unde digiti læſi cum omnium admiratione reſtituti ſunt.

F. In *humero externo* paulo ſupra cubitum, ſub inſertionem muſculi Deltoidis, ubi tertius bracalium nervus maxime nudus hæret.

Igitur his locis explicatis poterunt Dropaces

ces ſinapiſmi, ſeu phœnigmi, & veſicatoria applicari, ut ſic concuſſus irritatuſque truncus nervi major, motum oriundis a ſeſe nervis impertiatur, & ut obſtructiones hinc inde nervorum occupantes involucra, diſcutiantur, deoppilentur.

Dein partium iſparummet paralyticarum ſumme emaciatarum, & exſiccatarum, emollitione primo, frictione poſtea, & roboratione multum proficimus. Etſi enim præcipua malorum in abdomine ſit, emendenda origo; nihilo ſecius ſi partis paralyticæ, quod ſæpius fit, tendines ſint cum vicinis concreti, ſi nervuli per thlipſin anguſtati renaſcentibus, appellentibuſque ſpiritibus transfluxum denegent, profecto tunc expoſita opera concretiones, & compreſsiones ſolvi poterunt, quo demum ſpiritibus, & ſanguini liber aditus pateat; & membranæ adipoſæ, celluloſæ, quæ loculi Sinireſi incipiente fere deſtructi, aperiri a ſe invicem dimoveri, aptarique ad oleum a ſanguine denuo excipiendum, queant.

Tandem monuiſſe ſuffecerit, quod ex natura mali abunde conſtat, aerem toto curationis decurſu moderate calidum, ratione anni tempeſtatum ſervari oportere; ſi quidem ægri alioqui vel minimæ ejus in frigidiorem mutationis pœnas luunt.

Paucorum annorum ſpatio ægros hacce ratione inviſi numero novem: quorum nonnullis ab ipſo rei exordio affui, aliis autem ſerius; ubi

alia

alia methodo tractati adhuc peſsime cum morbo luctabantur, vel ubi vix paululum emerſi, recidivam patiebantur crudeliſsimam. Ad plures abiit una, quæ multas ob rationes legitime tractari non potuit; alterque ob manifeſtam cauſam recidivam paſſus eſt, qua etiam num emerſus incipit ſaneſcere. Reliquos omnes ſanitati reſtitutos integræ, ſummo Numine adſpirante, lætus ſaluto.

Diaria addere quæ ad amuſsim quidquid, a calce ad metam, in omnibus hisce ægris factum obſervatumque fuerit, referrent, animus tulit. Rei equidem, qua de agitur, veritas, ipſomet uſu comprobaretur: At vero hæcce Opellæ noſtræ conſulto detraxi; ne forſitan quis ægrius ferret, ſui morbi hiſtoriam, ut ut caute deſcriptam, publice in hac Urbe prodi.

Penſum ergo me abſolviſſe reor, & quæ fidelis obſervatio docuerat, publici feci juris. Eja! nunc genuini Apollinis filii! velitis, quo eſtis candore, colligere, inſpicereque, quæ in hanc rem congeſta a vobis, quæque obſervata fuerint. Aliis ejuſmodi ægris deinceps medentes, & veſtra, & mea, ad ſeveriſsimam revocetis trutinam; & quæ tandem tuta vobis, quæ vera, viſa sunt, ne orbi languenti ſordide invideatis. Veſtris ſic mea emendantes, talem tandem Methodum concinnabitis, qua & huncce morbum ad eandem, qua plurimos, ſimplicitatem, reduci, & poſſe, & debere, conſtabit.

F I N I S.

ANTONII DE HAEN

S. C. A. Majeſtatis Conſiliarii, & Archiatri, nec non Medicinæ practicæ, in alma, ac antiquiſſima Univerſitate Vindobonenſi, Profeſſoris Primarii.

DISSERTATIO MEDICA

SISTENS

EXAMEN TRITISSIMI PROVERBII

MEDICINA TVRPIS DISCIPLINA

NEAPOLI MDCCLXXVIII.

Tyis JOSEPH MARIÆ PORCELLI Bibliopolæ

Superiorum Permiſſu.

EDITOR LECTORI

S.

TAnta eſt hodie Clariſſimi Viri ANTONII DE HAEN fama, ut omnia, quæ in lucem edit, opuſcula avidiſſime reciſciantur: eam ob cauſam Diſſertationem ejus inauguralem, in qua Medicinam ab omni contemtu pulcherrime vindicat, & ſimul peritiam ſuam, & eruditionem, quam tunc temporis jam conſecutus erat; quod omnibus Medicinæ fautoribus pergratum fore exiſtimo. Vale! Lector, omnibuſque Clariſſimi Auctoris laboribus fruere tuo bono.

PROŒMIUM.

A Quinque ab hinc annis, quibus mentem Medicis Studiis applicui, tot Scommata in Medicinam, ut in Artem incertam plane, ac plerumque ridiculam audivi, legique, ut multoties animum deſponderem, atque ſæpius, antequam rem penitius introſpexeram, mei me propoſiti tæderet, illudque relinquerem ne an proſequerer, redderet ancipitem.

Neque enim infima de Plebe Viri, aut aniculæ Medicis plerumque, ut ipſæ ferunt, ſapientiores, hæc Scommata proferebant; ſed ejuſmodi homines, quos ob ingenii acumen animumque cum Litterarum, tum aliarum excellentium Artium, & Diſciplinarum Studiis excultiſſimum, ſumma cum animi veneratione proſequor.

Verum prima Medicinæ tranſigenti Tyrocinia ſenſim nonnullarum, ob quas vituperabatur, cauſarum vis debilior, veroque abſimilior viſa, calcar addidit num ne omnes ſolidis carerent fundamentis ut probe examinarem.

Quare & in toto ſtudiorum decurſu numquam non intentiſſimus, ubi vel Clariſſimorum in hac Academia Medicinæ Procerum Inſtructionibus aſſiduus interſui, vel optimorum Auctorum monumenta ſedulus pervolvi, an ſcrupuli hi animo eximi meo poſſent; magis intellexi magiſque, omnes haſce objectiones nullius faciendas eſſe: utpote vel ridiculas, vel veritate carentes, vel reſpi-

ſpicientes tantummodo malos medicos, aut ſemidoctos quoſvis Magiſtellos, qui præclaram quam vix intelligunt artem in humanam pernitiem profitentur.

Quæ cum animo revolverem ſæpius, Chartiſque ne labili memoria exciderent, quotidie mandarem, pepererunt tandem hancce materiem: quam Academiam relicturus, ejuſque præclaris, pro tenuitate mea ſatisfacturus Legibus, Themati inaugurali conflando dedicandam duxi.

Quo quidem a propoſito nonnulla me aliquantulum deterruerunt; me, inquam, juvenem, virium tenuitatis probe gnarum, maturioriſque quod ad hocce opus conficiundum requirebatur judicii.

Tamen cum ſcirem ab iis qui Medico condecorabuntur honore tantum modo eorum quæ in Academiis didicerunt, non eorum quæ ipſi experti, aut commentati ſunt, ſpecimen peti: quumque præterea animus eſſet ejuſmodi Thema componere quod tenues meos in Medicina Profectus non tantum teſtaretur Clariſſimis, quos frequentavi Profeſſoribus, ſed & aliis Claris Viris tam Conſanguineitatis, quam Dulcis Amicitiæ mihi copula nexis, vel ob gratam in me benevolentiam maxime colendis, ad prius a quo diſceſſeram, propoſitum redii.

Namque primo fere nihil me Scripturum præſciebam, niſi quod ſummi, & ad cineres uſque colendi mihi viri, in hac Academia Medicæ Facultatis Lumina, omni modo meo inculcare ani-

mo conati erant; vel quod ex præſtantiſſimis ab ipſis conſcriptis commendatiſve voluminibus hauſeram: Secundo materiem fore quæ viris alio, vel & nobiliori ſtudiorum genere occupatis magis arrideret, facile crediderim.

Verum nimiam materierum molem intra tam arctas congeſſiſſe pagellas multis videbor, videborque merito: ſed ſciant hi materiei ſeorſim ſingulæ pro dignitate tractandæ nec tempus nunc eſſe nec in Theſibus propoſitum; unius vero productam pertractationem ei, quem mihi propoſueram, ſcopo minus ſatisfacturam videri.

DISSERTATIO MEDICA

SISTENS

EXAMEN TRITISSIMI PROVERBII

MEDICINA TURPIS DISCIPLINA.

RAtiones, ob quas turpis Diſciplina Medicina audit pluribus, hæ potiſſimum ſunt.

I. Magnam eſſe ſententiarum in theoretica humani corporis contemplatione diſcrepantiam; tum Antiquos inter Recentioreſque, tum, & inter ipſos recentiores coævos.

II. Ipſam vero Praxin continuæ ſententiarum, & curandi Methodorum mutationi turpiter ſubjacere.

III. Situm Diſpoſitionemque partium intra corpus latentium, imo vel ipſum externum corporis habitum, nonnumquam ita imponere Medicis, ut in Diagnoſi, & Prognoſi alucinentur quam turpiſſime.

IV. Medicos ipſos ſuam curtam prodere ſuppellettilem dum, quotquot probi inter eos exiſtunt ingenue fateantur complures ſe morbos ſanare non poſſe, imo plures morbos, eorumve cauſas, ſe ignorare.

V. Homines plures viſos abſque Medicorum ope curatos.

VI. Sanatos homines adhibitis quidem Medicis, ſed eiſdem vel ab Ægro, vel a Pharmacopæo, deceptis.

VII. Alios ſanitati reddidos rerum uſu earumdem, quas audaciſſimo præſagio peſſima quæque effecturas Medici prædixerant.

VIII. Teterrimis e morbis convaluiſſe homines, curantibus ejuſmodi Medicis, quos famoſi alii artis Proceres tamquam peſſimos, utpote vel fortiore, vel ſegnore, quam oportet, Methodo, uti ſolitos, traduxerant.

§. I.

Magnam eſſe ſententiarum in Phyſiologica humani corporis contemplatione diſcrepantiam: tum antiquos inter Recentioreſque & tum inter ipſos Recentiores coævos.

Fateor lubens veram eſſe totam hance propoſitionem; cauſamque tantæ diſcrepantiæ variam agnoſco.

Deſcriptiones anatomicæ partium corpus humanum conſtituentium earundemque uſus variant incredibiliter, prout lumen majus per diverſas ſæculorum ſeries rebus affulſit; atque etiam prout indefatigata mortalium induſtria naturam experimentis laceſſivit, & ad admitten-

tendos homines in abdita , in quibus ſubliteſcebat penetralia coegit.

Ut enim artes omnes incultum prius & informe Chaos deinde per gradus , poſt multiplex obſervationum Genus ad formam Artis ductæ, atque magis excultæ magiſque ad aliqualem, qua nunc gaudent, perfectionem adductæ ſunt ; ita & huic Medicinæ parti evenit. Anatomicum quoddam corpus rude certe, atque inconditum priſca habebat Ætas , quod ſuppeditaverant. 1. Extiſpicia Sacerdotum ſingulari quodam ritu animalia viva eorumque partes tractantium ; ac Numini ſummo apud veros Dei cultores, denſo vero Deorum fictitiorum , Dearumque agmini apud Idololatras gentes offerentium . 2. Cadaverum Balſamo condiendorum mos, maxime ille, quo viſcera eximebant ſingula, ac Balſamis, Aromatibuſque contra putredinem muniebant. *Herodot. Lib.II. Euterp.* hoc fuſe deſcribit. 3. Vulneratorum Hominum Inſpectio Pertractatio , & Curatio. 4. Laniena ipſa partes animalium eximens, repurgans, in quibus mortales , qui vulneratos vivos, vel & Balſamis condiri mortuos viderant, multa conſimilia repperere . 5. Inciſio vivorum animalium in philoſophicos uſus, mediċoſque ut *Democritus* feciſſe legitur in Epiſt. *Hipp. ad Damag.* 6. Examen ipſorum cadaverum hominum certis morbis defunctorum , ut *Hippocratem* feciſſe ex multis ſuorum operum lo-

locis indubitato conſtat: & ut teſte *Euſebio Cæſarienſi Epiſcopo* antiquiſſimus Scriptor *Manetho* tradit *Athoſten* Egyptiorum Regem ipſum per ſeſe luſtraſſe cadavera, morborum ſcilicet ut rimaretur cauſas.

Alia, ſed pauca, ſubſequentes addidere ætates; ita ut poſt *Galeni* tempora vix pauca reperias, quæ prius, ſaltem ex parte, nota non fuerunt.

Sæculo tandem XVI. nova Lux affulſit *Carpi*, *Mundini*, *Veſalii*, ac maxime *Euſtachii* induſtria, necnon ſedulitate multorum in Patavina Scola Anatomicorum.

Demum prioris Sæculi anno 8. poſt 20. Harvæana Lux orbem fere totum paſſu quam celerrimo illuſtravit, quando ſanguinis humorumque per corpus circulum immortalis Harvæus in Anglia ad formam doctrinæ perduxit: cujus circuli rudia quædam lineamenta viſa *Nemeſio* Epiſcopo, Sæculo IV. *Paulo Sarpi*, vulgo dicto, & eruditis noto nomine *Fra Paolo*, Veneto Theologo, Sæculo XVI. *Michaeli Serveto*, vivis Genevæ combuſto flammis; *Andrææ Cæſalpino*, Italo acutiſſimo *Lib.V. quæſt. peripatet.* *Realdo Columbo* in Patavina Scola profeſſori. Verum de omnibus his merito dici poteſt id, quod *G. Baglivius* Profeſſor Romanus *Prax. med. cap. XII.* §. 1. loquens de Cæſalpino eleganter pronuntiat. „ Quoniam „ ſola, inquit, mentis acie ad præclarum hoc

„ per-

„ pervenit inſtitutum , nec . . . experimenta „ adhibuit, nihil mirum quod , & operis ar- „ gumentum reliquerit imperfectum . . . Quod „ animadvertens *Harvæus* non ſolum rationem, „ ſed experientiam ipſam hac de re conſulere „ voluit: idcirco tamdiu Naturam experimen- „ tis vexavit, tamdiuque ſectionibus Anatomi- „ cis laceſſivit , donec tandem ad veritatem „ fatendam coegerit.

His præclaris inventis demum acceſſit quidquid *Malpighii Svvammerdammii*, *Leeuvvenhoekii*, *Ruyſchii*, *Morgagni*, *Santorini* , ac præprimis venerandi Præceptoris mei Cl. *Albini*, (cujus Lucubrationes eruditiſſimas Medicus orbis brevi obſtupebit) indefatigata induſtria ad Anatomen ſubtiliorem excolendam , contulit.

Quæ cum ita ſint , injuria hinc quiſpiam hancce Medicinæ partem vituperet: Si quidem eo pluris artes alias, diſciplinaſque facimus , quo major ipſis perfectio acceſſerit. Egregia Ars Nautica plurimi ſemper æſtimatur, utiliſque cum maxime: quam & induſtria , & audacia humana in faciundis periculis , ex nulla fere, eo promovit uſque, ut cum primo indomitum mare mortales horrerent , dein illud auderent tranſire juxta litora lambendo, nunc pleno gurgiti ſeſe committentes, *ſævum mutandis mercibus æquor arant*.

Secundam cauſam hujus diſcrepantiæ ſententia-

tiarum circa Theoriam Medicam, eam reor, quod homines antiquis, quibus imbuti ſunt, opinionibus haudita facile renuntiare ſolent. Neque etiam ſapientis eſt ſuam ſententiam, audita nova, illico mutare: alioqui unus homo breviſſimo vitæ caducæ ſpatio decies forte deberet mutari ſententia. Semper enim fictricis Ludibria mentis Incautis imponerent, dum nova rerum facies plerumque arrideat. Ita novi, quid, minus licet bonum, ſuos ubique fautores invenit. Viget Incolumis nova ſententia donec ſumma ingenii acuties plauſibilius aliud ſubtiliuſque excogitet; cui denuo plerique aſſentiuntur. Videatur *Gaſſendus de Epicurea Philoſophia* latiniſſimus *Celſus* & *Barcuſius de variis Medicorum ſectis*, & *placitis*; quibus patet ejuſmodi figmenta ingenii ad tempus in honore eſſe, verum ab aliis ſubtiliora proferentibus explodi; hæc iterum ab aliis refutari, & ſic porro in infinitum. „ Hinc pulcre *Lu-* „ *cilius* apud *Ciceronem Lib. II. de Nat.* „ *Deorum* Etenim, inquit, videmus cæteras „ opiniones fictas, atque vanas, diuturnitate „ extabuiſſe . . . opinionum enim commenta „ delet dies, naturæ judicia confirmat „. Verum ab alia parte cum ſapientem virum deceat docilem ſemper animum gerere, ut ad nova ſæpiuſque confirmata experimenta latitanti olim, nunc prodire coactæ, veritati reluctare non videatur, dedecebit ſummopere antiquæ opinioni mordicus inhærere. Hu-

Hujus rei exemplo eſto mox recenſita Harvæana Doctrina. Adverſarios ſibi complures conſciverat ingens *Harvæus*, qui rei novitate perculſi eam fere inſtar Hæreſeos condemnabant. Quales in Anglia *Primeroſius*, *Riolanus* in Galliis, &c. Verum *Harvæus* ſuos Adverſarios (ut contra plerumque fieri conſuevit) contumelioſe excipere non ſolitus, ſed ratione atque experimentis iiſdem reſpondere conatus, ferme omnes ante mortem ſibi devictos vidit. Sic unus tardius, citius alius demonſtratam veritatem amplectitur; obtinentibus plerumque nonnullis, quos utpote ratione convinci impotes, ſibi linqui expedit: donec tandem vel latratu fatigati ſponte obmuteſcant.

Sed & 3. Cauſa ſubeſt hujus in ſentiendo diverſitatis, petita ex præcipiti & quaſi volante Mortalium ingenio, quo fit ut debitam rebus examinandis ſedulitatem negent. Memor ſiquidem homo quod ſit *Divinæ particula auræ* ſpeculationibus, & ludicris Phantaſiæ figmentis exſpatiari & vagari amat, hincque ſubtilitate ratiocinantis ingenii ſupplere conatur, quod alii ſola indefeſſa indagine, & lenta patientia expiſcari potuerunt. Omnium fere abſurdiſsimarum opinionum in quavis ſcientia vel arte hæc origo, hic fons eſt. Hinc & in Phyſiologia Medica prodiere tam abſurdæ explicationes circa Chylopoieſin, Hæmatopoieſin, Pneumatopoieſin; ut dies deficeret omnia ex ordine narrare volen-

lentem. Cum interea qui caſtiore ingenio præditi ſunt priorum periculis admoniti, in ſolos rerum Eventus intueantur, ſola experimenta conſulant, patientia obſervandi ætatem abſumant; atque ſic tandem mira & ſtupenda ſimplicitate veritatem abſtruſam extricent inveniantque. E re foret ſimplicitatis hujus in memoratis modo functionibus explicandis ſubnexuiſſe exempla; verum cum anguſtos theſios Limites exſilirent, malim hæc in adnexis poſt theſin proponere, ac defendere, corollariis.

§. II.

Ipſam praxin jugi ſententiarum, & curandi methodorum mutationi turpiter ſubjacere.

Propoſitionem hanc, licet aliquanto ignominioſius prolatam, veram ſæpe fuiſſe cogor fateri; ſtrenuam interim navaturus operam qua præclaram artem Medicam ab iniqua Labe quam vi concluſionis ex hac propoſitione, eidem conantur inurere, vindicem.

Itaque Praxeos exercendæ Methodum ab initio Medicinæ notæ haud ita fuiſſe, quam quidem Eam ſubſequentibus deinceps ævis, aut hodie exercent, facilis dabo.

I. Quia Medicinam in Artis, quam tandem accepit, formam condere mortales, niſi multiplici multorum annorum obſervatione, nequiverunt.

II.

II. Quia Praxi Medicæ contigit quod quibuſdam aliis ſcientiis, artibus, diſciplíniſque; ut homines non ex ſolis ratiocinati ſint experimentis, ſed vi ficti de ludicra Phantaſia Syſtematis, phænomena in morbis apparentia explicuerint, contorſerintque mirificè; unde variis juxta varia Syſtemata morborum Curationes adortis; non niſi ingentes, & miſeris mortalibus fatales errores committi potuere, artis tamen abſque ullo umquam opprobrio.

Itaque dico eos qui Medicinam Artis in formam cuderunt, mero tantum caſu, & ſimplici eruditos eſſe Obſervatione eventus. Morbi enim ſemper fuere quamdiu ea, qua nos, Lege vixere Mortales. Eſt namque Morbus ſtatus ille in quo Homo actiones vitales, naturales, & animales, omnes vel aliquas, fere exercere nequit, aut ſaltem eaſdem non niſi cum moleſtia, dolore, vel cita defatigatione exercet. Hunc ſtatum obtinuiſſe a condito primum orbe, quamdiu iiſdem Legibus, quibus Nos, obnoxii hæſerunt Homines, vel hinc apparet, I. quod illis Nobiſcum communes fuere aeris, qui hominibus inevitabilis, ac ſemper neceſſarius eſt, injuriæ, & viciſsitudines: utpote qui alius ſit in hoc, quam in illo; ut vocant Climate, alius hyeme quam æſtate; alius vere quam autumno; alius interdiu, ab eo, qui de nocte; alius uno die, alius alio: alius eodem die, ab eo qui paulo ante regiones perflabat; alius tem-

pore

pore calido ; frigido tempore alius; in humida tempeſtate alius , ab eo qui in ſicca ; varius præterea, prout ſupra paludes, lacus, flumina, maria, montes , prata , aut varia alia corpora ad certam regionem deferatur ; varius denique prout a Meteoris immutetur II. communis nobiſcum iiſdem Alimentorum Natura fuit ; quorum nonnulla facile , difficile alia , in noſtram permutentur Naturam III. obnoxii fuere Corporum irruentium vi ; ſive illa corpora in ipſos inſilirent, ſive in eadem ipſi illiderent. Vt bene *Cicero* hinc cauſam egritudinum deducit *Lib. III. de Nat. Deor.* „ Cum omne, inquit, ani-„ mal patibilem Naturam habeat, nullum eſt „ eorum quod effugiat accipiendi aliquid extrin-„ ſecus , id eſt quaſi ferendi , & patiendi ne-„ ceſsitatem „. IV. Eaſdem, quas Nos, edidere Vitæ actiones , quæ certe ab Homine ſano diu exerceri conſtanterque nequeunt, abſque novo alimento , quin morbi naſcantur. V. Denique fabrica ipſa humanæ compagis ſe ipſam per ſeſe deſtruens , ni idoneo reficiatur fulciaturque nutrimento, morbos ipſis quandoque inevitabiles procreaverit neceſſe eſt..

Quibus quidem morbis , quicumque demum erant, abigendis primo impulſus quidam aderat automaticus , ſeu motus a ſola hominis fabrica pendens , veluti movet ſe Horologium ex vi ſuæ fabricæ atque ſtructuræ. Hujus motus impulſu homo , vel animal quodcumque ægritudine

ne gemens, ad auxilia ſibi ignota confugit, ſine Mentis præſcia voluntate. Quemadmodum homo inſcius omnino Arſenicum ſumens, ſtatim nauſeas ſenſit, Vomitumque, ut Venenum expellatur; Mente licet haud conſcia, nec determinante, vel aliquando invita. Ut etiam ſuſceptum aliquod intra Corpus venenum corpus ipſum conatur excitatis ſudoribus a ſeſe abigere, Mente nihil eo determinante, imo ne conſcia quidem. Ut qui arenulam intra oculum gerens vi quaſi ſpaſmodica palpebras ad oculi bulbum apprimit affricatque, quo fit ut Glandula *innominata Galeni* eadem actione preſſa lacrimas producat copioſas, quæ arenulam abſtergeant. Ut homini vulnerato fit ſtatim inflammatio, dein ſuppuratio quæ facit pus; quo ceu optimo Balſamo Vulnus percuretur. Hæc, & ſexcenta ejuſmodi alia Homines multa in morbis proficua docuerunt: Venena ſcilicet eſſe, quorum expulſio fiat vomitum aut ſuſcitando, aut ſuſcitatum expediundo; alia venena intra corpus recepta excitatis expelli promotiſque ſudoribus; arenulas Quiſquiliaſve oculo illapſas, ſi natura productis Lacrimis aut premendo oculum non ſufficiat, aut ſi corpuſcula hæc nimium intra palpebras bulbumque oculi infixa ſint, injectu aquæ tepidæ abſtergere; Vulnere, ut curentur, ad bonam ſuppurationem adducere. Modum itaque impulſus hujus ipſa hominum non aſſequitur intelligentia, reperitque tantum-

modo ejus cauſam in Adorandi Creatoris ſolo inſtituto, qui corpus omnium animalium hiſce inſtructum dotibus voluit.

Huc facit Dos quædam Menti innata, ut ad moleſtiam doloremve corporis, animique angorem; homo ſibi quærat, & applicet remedia, in quorum delectu vagum tantum experimentum, vel & ſpontaneum conſulit appetitum. Sic V. C. in ſiti febrili videas hominem aquam, aquoſa, acidula, quibus Medicina meliora non novit, avidiſsime appetere; quod certe Mentis huic adſcribendum Doti: ſiquidem ægro ſitis habente Cauſam, & Potum non appetente, Mentem laborare in confeſſo eſt. Hæc Dos infantis acido laborantis impulit mentem, cretam ut avide arenulaſque devoret, quæ uſum abſorbentium poſthac docuere Mortales acido laborantes. Quin & ipſis Brutis invenitur innata facultas ſimiles ei, quam in Homine Mentis dotem appellamus. Sic pulcre *Cotta* apud *Ciceronem Lib. 3. de Nat. Deor.* „ Nullum poteſt, inquit, eſſe animal, in quo non appetitio ſit, & declinatio naturalis: appetuntur „ autem quæ ſecundum Naturam ſunt, declinantur contraria: & omne animal appetit „ quædam, & fugit a quibuſdam; quod autem „ refugit, id contra Naturam eſt. „ Cauſamque hujus Rei dixerat *Libro* 2. „ eſſe in Bellua quiddam ſimile Mentis, unde oriantur „ Rerum appetitus. „ Et paullo poſt: „ Dedit „ ea-

„ eadem Natura Belluis, & ſenſum, & appeti-
„ tum ; ut altero conatum haberent ad natura-
„ les paſtus capeſſendos, albero peſtifera ſacer-
„ nerent a ſalutaribus. „ Sic vulnerati quondam Noſtrates quibuſdam venenatis Indorum telis plerique omnes moriebantur, aut ſaltem abſque Curatione novum morbum producente, non curabantur. Mero viderunt caſu animal parvum Leonem referens, hujuſcemodi telis vulneratum ſibi herbam ibidem *Mungos* dictam quærens; ejuſque uſu curans venenum: quod advertentes homines, & ſibi eandem applicuere; curatique ſunt. Ita Bruta hac dote inſtructa docuerunt homines plura adminicula ſanitatis reſtituendæ. *Proſper Alpinus* in præclaro ſuo opere *de præſag. vita & morte ægrot. Lib.* 7. *c.* 2. „ Hoc remedii genus, inquit, (de M. S.
„ ſermonem habens), Medici ne dum Naturæ
„ imitatione invenerunt ſed quibuſdam etiam
„ animalium exemplis perdocti, præſertimque
„ Hippopotami, equi marini ut Plinius eſt au-
„ ctor qui ingluvie obæſus, crus in arundinis
„ ſtipitem acutiſsimum adigens, Venam quan-
„ dam vulnerando, copioſius ſanguinem effun-
„ dit, atque ita fuerit ipſius corporis pletho-
„ ram tollere ſolitus. „ Vide, *& Dapperum Hiſt. Ægypt. pag.* 147. Eodem *Plinio* auctore ut & *Cicerone Lib.* 2. *de Nat. Deor.* Canis voraciſsimum animal, ubi nimium ingurgitaverit ſeſe vomitum provocat; hincque ajunt edoctos

homines, ut vomitu, (ſi ſponte non fiat) coacto, infarctum deplerent ventriculum, Avis *Ibis* dicta roſtro ſuo oblongo injecta in anum aqua tepida, obſtipatam reſolvit alvum; ſicque uſum Clyſmatum docuit. Vide ex *Plinio*, *Plutarcho*, *Æliano*, hoc apud *Dapperum* deſcritum in *Hiſt. Ægyp. pag.* 143. *Acta Societatis Britannicæ* hiſtoriam tradunt Caniculæ; quæ quotieſcumque ab Hera demiſſa erat ad certam Parietis locum ſibi legebat *Parietariam* herbam. Hoc viſum quam ſæpiſsime. Mortui animalis aperta Veſica exibuit Calculos complures. Norunt porro Medici Calculoſis hanc herbam multum prodeſſe, ubi viæ emolliendæ pro Calculi in Veſicam tranſmiſſu.

Hæc certe & plura conſimilia primævos homines plurimarum indicabant ægritudinum ſolatia: quo quidem ſenſu Medicina ſemper dici poteſt inter homines obtinuiſſe.

Verum quod Artis ſenſim formam acceperit proprie effecerunt ſequentia adminicula.

I. Caſus fortuitus, ſeu Eventus phyſicus per ſenſus obſervatus, cujus nulla antea cogitatio fuerat. Ut v. g. quando impulſu automatico animal quærit anſie quo demum modo ſituve dolorem queat levare, ac tandem forte ex mille modis unum invenit, qui ſublevet, ſoleturque. Hoc in Aſthmaticis Peripneumonicis, in Pleuriticis &c. evidenter cernas. Ita caſus fortuitus multiplex docuit plurima a juvamine vel

nocu-

nocumento, quod ſani ægrive ab aliqua re adhibita vel omiſſa perceperant. Ut pulcre *Hippocrates Libro de Priſca Medicina* hanc artem imis ſuis de fundamentis eruens de monumentis, quæ conſervabat, antiquiſsimis, tradit Eam ortam cum primis ex eo quod cerneretur primo ægrotis obeſſe ſanorum Diæta. Hoc obſervatum pluries tandem occaſionem dediſſe ut homines cogitarent & minore copia, & dilutiore forma alendos Ægrotantes. Sed neque vel hinc artem naſcituram fuiſſe, ſi alimenta, & copia minora, & dilutiore forma ſanis æque atque ægris conveniſſent. Verum vidiſſe ſanorum corpora iiſdem cum debiliora fieri, tum a perferendos labores ineptiora. Hinc neceſsitatem quaſdam cudendi regulas in Ægrotantium commoda, & exortam eſſe, & exoriri neceſſario debuiſſe.

Juvit 2. Naturalis inſtinctus qui ex impulſu automatico, & ex dote Menti increta naſcebatur, ut paulo ante patuit. Videmus quomodo plurima hinc eruditi mortales ex iiſdem rude quoddam Corpus Obſervationum condere potuerunt.

3. Acceſsit haud prævifus eventus; quando nempe prioribus duobus inſtructi homines tentabant, an forte ab alia quapiam re adhibita, aut neglecta idem ſequeretur. Sic *Cicero ſupra Laud.* ,, Multa, ſcribit, ex Belluarum corpo-
,, ribus remedia morbis, & vulneribus eligi-

 ,, mus;

„ gimus; ſicut ex quibusdam ſtirpibus, & her-
„ bis: Quarum utilitates longinqui temporis uſu,
„ & periclitatione percipimus. „ Sed hac periclitatione ſæpe contrarium ſortiebantur effectum, minimeque prævifum. V. C. Viderant hominem febri ita æſtuantem, ut jam jam combuſtum iri ſeſe clamitet, aquam potuſque aquoſos acidulos, frigidum aerem tantopere appetere, ut cum Lyſimaco aquæ potum pro toto redimere Regno, quam ſiti amplius exareſcere, mallet. Viderant & revera hujuſcemodi levari nonnumquam homines. Pronum fuit ex hiſce cogitare numne æſtus intollerabilis melius ſedaretur ſi gelidæ aquæ, aeriſque frigidiſsimi quam plurimis concederetur uſus? experiuntur. Bibit æger ſumma cum animi voluptate, ita ut ſapientiſsimus Regum in *Prov. cap.* 25. V. 13. hac comparatione utatur: „ Sicut frigus nivis
„ in die Meſsis, ita Legatus fidelis, ei qui mi-
„ ſit eum: animam enim domini ſui refocil-
„ lat „ (ſeu requieſcere facit) ſed momentanea voluptas in ægrotantibus exæſtuantibus citam ſæpe mortem accellerat. Quibus pluries obſervatis didicerunt tandem homines aquam tepidam, aut frigidiuſculam prodeſſe febricitantium æſtui, gelidam nocere quam maxime, præſertim ubi affatim hauritur. Idem de aere judicium tulere, ubi æſtuans homo gelido in aere quieſcens pleuritidem ſibi concitaviſſe ſæpius viſus.

Hinc

Hinc ſexcenta talia viſa hominibus, atque pluribus in caſibus veriſsima obſervata, memoriæ mandata fuere eaque ne exciderent ſcripturæ genere, tunc temporis uſitato, deſcripta. Porro hæ deſcriptiones non ſolis privatorum hominum, quo lucrum inde captarent, uſibus, ſed publice in Templis cunto patebant populo. Hic celebratus apud Ægyptios mos, atque apud Grajos. Videndi hac ſuper re *Pauſanias* & *Strabo*. Quin & apud Veteres Romanos id moris fuiſſe pluribus *Cicero* teſtatur in locis, & confirmat *Val. Max. Lib.* 2. *cap.* 5. *num.* 6.
„ Febrim, inquit, ad minus nocendum, tem-
„ plis colebant . . . in eaque remedia, quæ
„ corporibus ægrorum adnexa fuerant, defe-
„ rebantur. Hæc ad humanæ mentis æſtus le-
„ niendos cum aliqua uſus ratione excogitata
„ &c.

Quod ſi Deſcriptiones templorum affixæ columnis non ſufficerent, ægri in triviis exponebantur, & foris; ut ſi prætereuntium quiſquam, quod in ejuſmodi caſu profuerat aliquando, noverat benignus indicaret. Cernimus facile ex omnibus his Empiricam naſci Medicinam debuiſſe, quæ ſoli tantum præterito præſentique cognoſcendo apta erat. Verum, quia morbos pleroſque empirice curare impoſsibile, ſenſim natum eſt caſtiſsimum ex comparatione obſervatorum cum præſentibus, & futuris, quam *Analogiam* vocant, Ratiocinium.

Ponatur namque homo apopleticus prima vice primævis apparuiſſe mortalibus. Hunc profecto bene profundeque dormientem rati ſunt. Eo vero poſt completum ſomnum non ſurgente, interpellato licet ſæpius, tacto, punctoque, ac tandem moriente, talem ſomnum in morborum lethiferorum retulere catalogum. Videntes deinde alium hominem eodem modo se habentem, certe ne, ut alter ille moreretur timuerint neceſſe eſt. Verum huic homini copioſus effluit de naribus, aut aliunde, Cruor: poſtquam ſenſim ad ſese redit, curaturque. Notant hoc homines, ac ſciunt unum apoplexiæ genus, quod ſi larga hæmorrhagia fiat, mutatur in ſanitatem; ni fiat occidit. Edocti deinceps ab animalibus ſanguinis miſsionem, imitatique Naturam præeuntem ſecarunt Apoplectico, cui ſponte ſanguis non effulſit venam: homo convaleſcit. Gaviſi mortales, ac ſucceſſu turgidi, mox alii apoplectico venam ſecant, ſectus venam apoplecticus moritur. Quid inde? cernunt ilico quoſdam apoplecticos M. S. curari, alios curari minime. Ergo ſaltem duplicem eſſe, quæ apoplexiam gignat cauſſam; duplicemque proinde, qua curetur, methodum. Hinc ad analogiam, & ad cauſarum inveſtigationem vel inviti trahebantur.

Quæ omnia eo majoris artis incremento inſervierunt; quando auctoritate publica viri deſignati, qui morbis vel omnibus, vel tantum cer-

certis quibuſdam invigilarent. Ut apud *Ægyptios* factum Hiſtorici tradunt. Qui iidem viri filios quam artem ipſi callebant, erudire juſsi. Ac maxime increvit Ars auctis in dies accuratiſsimis morbi, ejuſque remedii, annotationibus: quam quidem ob rem Templa *Epidauri*, *Coæ*, &c. celebratiſsima.

Unde ortum cum primis, ut Sacerdotes Medicinæ profeſsionem ſibi plurimum vindicarint, utpote qui templa aſsidue frequentantes inſcriptiones facili marte memoriæ mandarent. Sanatoſque pronuntiarunt ope ejus, cui Fanum id ſacrum, dicatumque Dei. Quos vulgus dein, ut Dei reſponſuros nomine conſuluit, Numen invocans & ob impetrata ſanitate eidem Vota perſolvens. Vide *Mercurial de art. gymn. Lib.* 1. *c.* 1. Unde & *Tibullus Lib.* 1. *ecl.* 3.

„ Nunc Dea, nunc ſuccurre mihi, nam poſſe
„ mederi
„ Picta docet templis multa tabella tuis.

Quibus deinde acceſſerunt quæcumque ad anatomicam ſcientiam condendam originem dediſſe incrementumque, ac maxime morborum explicandis cauſis profuiſſe pag. 11. demonſtrata ſunt.

His demum omnibus nata fuit doctrina Medica, genuina profecto, ac vere maſcula videlicet ex ipſius Naturæ hauſta, & confirmata penu.

Talem Obſervationum theſaurum nactus *Hippocrates* immortale ſuum potuit componere opus.

Ait enim ſuorum se ſcripta majorum, qui medica ſcientia inclaruerant, nactum. Ita ut vigeſimum Medicum, in sua familia se numeret. Quantus obſervationum theſaurus! Quantane fides adhibenda curatiſsimis hisce adnotationibus, quas collegerant Viri in ſalutem humanam unice intenti, ab omni fallaci ratiocinandi genere quam remotiſsimi, solam Naturam contemplati, in seram uſque ætatem obſervando occupati, graves, severi, qui nonagenario, centenario majores notata a prima juventute cum iis quæ senes obſervabant, contulerunt; collata adnotarunt; ut in seros uſque nepotes caſtiſsima doctrina seu per traducem, propagaretur! Sed neque his modo contentus Magnus ille Medicinæ Parens iter inſtituerat *Cnidum*, ubi teſte *Sorano* inſignis Obſervationum Bibliotheca conſervabatur; quam ſcrutatus eſt quam diligentiſſime. Coæ quoque, ubi natus, educatuſque fuit, ex Templo ob collectiones obſervationum famigeratiſsimo ditiſsimam penum nactus eſt.

Hinc *Lib. de Diæt. in acut.* initio laudat eos qui Cnidias dictas ſententias conſcripſerant; opus quippe eſſe ab omni fallaci ratiocinio remotum, ex solius Naturæ ſeveriſsimo deſumtum obſervatu, tantamque ſimplicitatem redolens, ut quivis etiam Medicinæ ignarus illud rite potuerit conſcribere, dummodo probe ex unoquoque ægro, quid patiatur, intellexerint. Reprehendit eos tantum quod ſegniores fuerint,

quam

quam ut ex hoc præclaro opere Regulas prædicendi cuderent quodque ex hisce ad alia non ratiocinarentur. Et *Lib.* I. *de Diæta*, ait se quædam ſcribere debere circa victus rationem, quæ prætermiſſa de veteribus; verum ſimul plura ſcripturum ſe eodem, quo veteres, modo; quippe quæ tam bene ordinata congeſtaque, ut aliter, atque illi, ſcribere nequeat. Ac maxime veterum monumenta laudat *Lib. de priſc. Med.* Ubi erraſſe in multis aſſerit eos, qui Medicinam compendioſius tractaturi, ex calido, humido, frigido, ſicco, explicare Morborum conabantur mortiſque cauſas. „ At vero in Medi„ cina, inquit, jam pridem omnia ſubſiſtunt, in „ eaque principium, & via inventa eſt, per„ quam præclara multa longo temporis ſpatio „ ſunt inventa, & reliqua deinceps invenien„ tur, ſi quis probe comparatus fuerit, ut ex „ inventorum cognitione ad ipſorum inveſtiga„ tionem feratur. Imo tanti fecit hæc obſervata ut ibidem audacter pronuntiet: „ Qui ve„ ro his omnibus rejectis, & repudiatis, aliam „ inventionis viam, aut modum aggreditur, & „ aliquid se inveniſſe jactitat, is cum fallitur, „ tum alios fallit. Neque enim iſtud ullo pacto fieri poteſt.

Verum nondum contentus infinitæ indaginis & diligentiæ Vir, voluit obſervatorum veritatem in sua non tantum Patria, eique affinibus Regionibus, sed & in diſtantiſsimis experiri: cui

cui negotio, cum unus impar eſſet, filios diſcipulóſque quaquaverſum miſit. Sic in oratione *Theſſali Hippocratis* filii ad Aram miſit *Athenis* habita legimus *Theſſalum* a Patre in *Macedoniam* miſſum, *Dracontem* Theſſali fratrem in *Helleſpontum*, *Polybium* cui filia Hippocratis nupſerat, & reliquos Diſcipulos ad diverſas urbes dimiſſos. Quibus redeuntibus, *Hippocrates* ex collatis ipſorum obſervatis cum ſuis, & Majorum monumentis, ſcivit nec temporum ſibi ſuccedentium ſeries, nec regionum diſtantiam, in confirmata tunc temporis praxi quid memorabilis mutationis attuliſſe. Vide eundem ſub fin. *Lib. prænot.*

Hinc ipſius caſtiſsimam doctrinam omnium ſubſequentium ſæculorum Medici obſtupuerunt. Vnde quando *Galenicis* argutiis, & acutis Peripateticorum argumentis fædata fuit Medicina hippocratica, hincque suo in progreſſu maxime impedita; quando invadente labens imperium Romanum Septentrionalium illuvie populorum, artibuſque tunc temporis, & litteris fere omnino ſilentibus, per impuras deinde *Arabum* manus Medicina tradebatur, quando *Chemicorum* principatum in ea ambientium dira sub Tyrannide gemebat; quando dein *Philoſophorum* poſterioris ævi praxin pariter, ac theoriam juſta sua placita infringentium Legibus invita ſerviebat: ſemper cordati, candidique pectore Medici per omnes has ærumnas tranſeuntes, & ar-

tis

tis inconſtantiam conqueſti, vel ad Hippocraticam Diſciplinam confugerunt; quam ſequendo in rectum reduci se tramitem gaviſi ſunt; vel opinionum variarum fatigati fallaciis Naturam ipſam empirice contemplando, & ſequendo ſedula obſervatione veram cognoſcendorum curandorumque morborum viam invenerunt. Quam dein vel ipſis, vel aliis, qui eorum ſcripta legerant, cum *Hippocrate* conferentibus ſemper conſtitit Hippocratica doctrina genuina, & juſta Naturæ confecta ſemitas eſſe.

Hinc *Cl. Boerhaavius* in oratione habita de commendando ſtudio Hippocratico. „ Alii quod „ unius, inquit, hic quid plurimum induſtria „ valeat exibet; alii ſuis modo vident oculis; „ hic multorum uſus eſt acie; cæteri per ſingulos ægros; hic per eorum agmina experimenta fecit: Pauci quid intra arcta unius urbis pomeria morbi ſit, tradiderunt; Illæ quæ „ in tot Vicos, Vrbes, Regiones, & Regna Lues „ graſſaretur, obſervabat. Hanc ego cauſam, „ quominus alios huic pares ſtatuamus, in primis magnam puto. Profecto ſapientia Artis „ major longe in illo fuit, qui tantis ad Medicinam auxiliis uſus eſt, quam in Reliquis; „ qui quamvis cætera æquales his deſtituti fuerunt. Atque inde natam arbitror eorum, „ quæ ſcripſit, æternitatem; hinc ortam puto „ illorum quæ XXIII. Sæculorum examen ſuſtinuerunt, integritatem. Evolvatur illorum

„ Or-

„ Ordo , mutata Hippocraticæ veritatis facies „ nullibi apparebit. Excutite Grajos, cognoſci„ te Romanos, verſate Arabas, repetitam „ atque confirmatam ubique invenietis doctri„ nam *Hippocratis*. Ex his enim quorum ad „ Nos memoria pervenit . . . quidquid habent „ eximii illi debent.

Eleganter ſane paucis hiſce ſtabilivit verbis, quidquid de *Hippocrate* dici queat, Clariſſ. Vir, ad urnam uſque mihi colendus; veramque, atque unicam viam præmonſtravit, qua genuinam Tyrones erudiantur Medicinam: cujus profecto viri teſtimonium apud omnes æquos rerum æſtimatores, gnaros quantum in Medicina boni præſtiterit, ſufficiens videri poſsit. Attamen ab hominibus cætera ingenioſis, minus tamen Medicis, facile prævideo mihi objectum iri id, quod *Cicero* in ſæpius laudato opere de *Nat. D. lib.* I. „ Non tam auctoritates, in„ quit, in diſputando quam rationis momenta „ quærenda ſunt. Quin etiam obeſt plerumque „ iis, qui diſcere volunt, auctoritas eorum, „ qui se docere profitentur. Deſinunt enim „ ſuum judicium adhibere; id habent ratum „ quod ab eo, quem probant, judicatum vi„ dent: Nec vero probare ſoleo id quod de „ Pythagoreis accepimus; quos ferunt, ſi quid „ affirmarent in diſputando, cum ex his que„ reretur, quare ita eſſet? Reſpondere ſolitos: „ IPSE DIXIT. IPSE autem erat PYTHA-

„ GO-

„ GORAS. Tantum opinio præjudicata pote-
„ rat, ut etiam ſine ratione valeret auctori-
„ tas.

Cui quidem objectioni prægreſſæ Hiſtoriæ Hippocraticæ Veritas ſatis reſpondit abundeque, ut tamen hoc mihi oggerentibus, & aliis quoque conſuluiſſe videar; tum quia vel ſponte mihi volupe ſit *Hippocratis* Diſcipulorum vel sola retexuiſſe veneranda nomina; en ſeriem clarorum in Arte Virorum, qui idem de Hippocrate teſtati ſunt.

Luculentius teſtimonium non datur quam magni *Thomæ* Sydenhami, qui Angliæ ſimul, & totius Medicinæ decus inſigne atque ornamentum fuit. Tantus ille Vir fluctuantem ſcolarum diſciplinam, lugendaque, quæ hic oriebantur infortunia perſentiſcens, nihil ab aliis inquirere, legere nihil voluiſſe, sed ſedulo tantum Naturæ ſtudio ſumma cum prudentia, & indefeſſa ſedulitate dediſſe se fere videretur, niſi ejuſdem opera hinc inde aliud forte indicarent. Vt ut ſe res habet, ſaltem videtur, ac ſi nihil legiſſet Naturæ in Clinicis contemplandæ multos impendiſſe annos, ut *pag.* 4. *opin. omn. edit. Leyd.* in præfatione teſtatur ut & alibi pluries. Quantum autem in Re Medica præſtiterit Vir ille, ſupervacaneum hic retuliſſe foret; ſiquidem, & ſcriptis, id & ore fateantur quotquot in arte exiſtunt boni. Aliquantum inſeneſcens jam, & praxi inveteratus Acutorum mor-

borum hiſtoriam methodumque curandi edidit, in qua in omnibus non tantum locis Hippocratem, qui veras artem colendi Regulas tradiderit, ſecutuſque fuerit, fere unicum agnoſcit. Hunc ait Medicorum *Romulum* baſi huic ſuam ſuperſtruxiſſe doctrinam Νȣσων φυσιες ιητροι (qui locus præprimis ex VI. Epid. deſumtus) *Morborum Medicatrix Natura eſt*: quibus id egit „ ut morbi cujuslibet Phænomena aperte „ tradiderit, nulla hypotheſi adſcita, & in „ partes per vim adacta . . . . atque in his „ fere ſtetit magna illa divini ſenis Theoria, „ non ab irrito laſcivientis Phantaſiæ conami- „ ne deſumpta, ceu vana ægrorum in ſomnia, „ ſed legitimam exhibens hiſtoriam earum Na- „ turæ operationum, quas in hominum morbis „ edit. Cum vero dicta theoria nihil eſſet a- „ liud, quam exquiſita Naturæ deſcriptio, par „ erat omnino, ut in praxi eo tantum colli- „ maret, ut Eidem laboranti quibus poſſet mo- „ dis ſubvenire contenderet: unde etiam non „ aliam arti demandat Provinciam, quam *ut* „ *deficienti Naturæ ſuccurrat effrænam coer-* „ *ceat, & in ordinem redigat*. Utrumque vero „ hoc tum paſſu illo; tum etiam Methodo, „ quibus Natura, morbum expellere ſatagit, at- „ que amovere. Animadverterat nempe ſaga- „ ciſsimus Vir quod ſola Natura τȣς νοσȣς κρι- „ νει, και εξαρκεει τα παντα πασι. Atque hæc „ omnia peragit Natura pauciſsimis, ſimpli-

„ ciſ-

„ ciſsimiſque adjuta remediorum formulis ; ali-
„ cubi etiam prorſus nullis . Vide *Præf. pag.*
„ 19. 20. Et iterum *pag.* 22. veram meden-
„ di methodum ſtabiliens . „ Quæ vero fundi ,
„ inquit , noſtri eſt calamitas , jamdiu ab anti-
„ quiſsimo , & peritiſsimo Duce *Hippocrate* ,
„ & priſca medendi methodo , cauſarum con-
„ junctarum (utpote quæ certo ſe prodant)
„ cognitioni ſuperſtructa deſcivimus : unde eſt ,
„ ut quæ hodie exercetur , a Logodædalis con-
„ ficta , confabulandi magis ſit ars quam me-
„ dendi .

Dein in Epiſtola ad *Pammanum pag.* 326. loquens de edendo ſuo in Chronicos commentario „ Singuli , ait , me dies docent , quam ſit „ arduum cæptum id ; & quam periculoſe ple„ num aleæ . Cum apud ſcriptores rei medicæ „ (*Divinum Hippocratem* , ſidemas , atque alios „ paucifsimos numero) vix ulla deprehendi „ queant veſtigia , quibus adjutus iter faciam. „ Ac rationem eſſe ſubjungit , quia quidquid plures promittunt , ſunt tantum ignes fatui , non veræ faces hypotheſibus ſuperſtructæ quas laſcivientis Ingenii , & Phantaſiæ Luxuria pepererat .

Objicere contra quis poſſet *Sydenhamum* , ut ut *Hippocratem* extollit , tamen inveniſſe quod ſæpe alia longe ab Hippocratica ſit ineundum via ; ſiquidem fateatur ſe vehementi deſiderio Methodum certiorem , minuſque lubricam expi-

ſcandi, & ſtabiliendi *in ſemitas nullo ante pede calcatas* per tractum fuiſſe.

Verum jampridem dixi Sydenhamum, vel non legiſſe auctores, vel quod probabilius, autores quidem legiſſe, tamen quia forte omnibus diffidebat, quaſi legiſſet omnino nihil, in ipſa praxi a principio ad finem ab ipſa eaque ſola natura edoceri voluiſſe. Hinc mirum nihil, quod teſtetur ſe *in ſemitas nullo antea pede calcatas* pertrahi; cum auctores negligens neſciverit, aut potius neſcire voluerit, quaſnam umquam ſemitas calcaverant Medici. Unde id ſaltem patet, quod in praxi aliquando minus forte hæſitaſſet, ſi hippocratica ſemper præ oculis habuiſſet. Quare is, qui ſæpius conquæſtus fuerat faſtidiosam in morbis varietatem, vireſque, & ætatem ad perferendos labores in invenienda cuique propria curandi Methodo prorſus imbecilles; poſtea in *ſcedula monitoria de nove febris ingreſſu*, *pag.* 538. quæ ex ultimis Viri operibus eſt, teſtatur quamplurimarum ſpecierum febribus certa quadam & unica methodo poſſe mederi, ſcilicet qua miſſo ſanguinis ſubeuns purgatio opio ſedetur. Ut profecto teſte ipſo in arte jam confecto, & inſeneſcente pauci morbi fuerint ad quarum curationem per *ſemitas nulla antea pede calcatas* pertrahi medentem oportuerit.

Quin & is, qui in Epiſtola ad Doctiſs. *Th. Short* dixerat ſic a natura ſe comparatum, ut quod

quod temporis alii libris legendis, id ille omne meditationi impendere ſoleat; neque tam inquirere, an ſibi aſſentiant alii, quam quidem utrum quæ ipſe tradat cum veritate conſentiant; cui etiam occanebatur.

Sic te ſcientem non faciunt Libri
Et dogma pulcrum: ſed ſapientia
Enata rebus. Menſque facti
Experiens, animuſque felix.

Idem, inquam, ille confitetur poſtea palam quanto ipſi detrimento hoc fuerit, dum in Epiſtola ad *Godartium* ſcribit „ Licet XXX. annorum, & quod excurrit, ſpatium, quibus „ ego non indiligenter in morborum obſervatione verſabar, ſufficere poſſe videatur, ad „ majorem, quam in ipſorum cognitione feci, „ profectum faciendum; attamen haud temere „ affirmo. Quod . . . . ne quadruplicatus quidem horum annorum numerus, etiam in homine occupationibus Medicis diſtractiſsimo, „ ſatis erit ad eundem in omni Medicæ artis, „ quaqua patet, circuitu, rite perficiendum.

Nec mirum ſane quod pro eo, quo erat, candore fateretur hocce: quandoquidem ſupra ſatis ſuperque ex Hippocratica Hiſtoria conſtiterit quantæ molis erat Medicam condere Artem. Quod profecto Medico cuivis impoſsibile. Quin, & Medicinam cum unoquoque Medico renaſci velle, haud minus foret abſurdum, quam velle Nauclerum quemque ſolo obſervatu

 di-

diſcere, & indefeſſa indagine expiſcari oportere Aſtrorum fixorum errantiumque Doctrinam, juſta quam navim dirigeret; & nauticam acum, vimque, qua donatur, magneticam, Geograficas quoque Tabulas, quæ Regiones quo pergendum, quæ ſcopulos evitandos rupeſque indigitent. Sane millena prius naufragia, evoreſque contingerent, quam rudis quiſque homo *Palinurus* fieret.

Quod ſi forte longorum annorum erroribus, & periculis captis tandem aliquis ſuperſtes, horum plurium in cognitionem veniret; nauticæ artis imperitis conſtaret, arbitror, quanta cum certitudine ars illa hucuſque culta foret. Quod cum in *Sydenhamo* contigerit, qui *Hippocrati* laudando longe imparem ſe faſſus eſt, quia Doctrinam ipſius divinam perpetuo ille obſervatu confirmatam ſtabilitamque cernebat: quique erraſſe pluribus Operum ſuorum locis ſcribit quotquot ab *Hippocrate* deſcriverant: qui denique aſſeverat Medicinam, qui bona atque unice vera via in morbis cognoſcendis, & curandis proceſsit, *Hippocrati*, vel ſuperiorem, vel parem habuiſſe neminem: abunde convincimur inconcuſſæ Hippocraticorum firmitatis, futuræque in clinica praxi felicitatis, ſi quis Hippocratica diſciplina probe inſtructus, ad illam ſeſe accinſerit.

Doctiſs. *Foeſius* eruditus in *Hippoc.* commentator in præfat. ad *Lib. Epid.* maxime ad

Libr.

Libr. I. III. Sæpius conqueritur Hippocratica tam parum medicorum volvi revolvique manibus; *Hippocratem* veluti ſolem eſſe cujus plerique adſpectum non ferant, quia „ *Hippocrates*, ait, natura admirabilis eſt, genere toto „ gravis, artis complexione inſignis, clarus, „ præceptionum comprehenſione infinitus, ver- „ borum ornatu grandis, interdum preſſus, con- „ ciſus ſententiis creber, & ſapiens, compreſ- „ ſione rerum brevis, & ob eam ipſam cau- „ ſam obſcurus. Doctrinam vero ejus in 1. & „ 3. *Epidem. Libr.* ita laudat „ ut ex hoc, „ veluti *Hippocratis* opere medico curationum artem, tanquam ſuppellattilem tibi adornare ſit facillimum, *poſſiſque his inſtructus per media ægrorum triclinia tutus, & integer omninoque admirabilis, veluti Caducæo ornatus, oberrare.*

Duretus ingens illud Galliæ lumen in *Coacis Hipp. fol.* 267. „ Fremant, inquit, licet „ omnes, dicam tamen quod ſentio, majorem „ ſcientiæ, & praxeos ubertatem comparari a „ ſtudioſo *Hippocratis* uno die, quam ab iſtis „ pragmaticis uno ſæculo.

Georgius Baglivius Profeſſor Romanus ob ſingularem eruditionem atque Hippocraticum Studium Clariſsimo *Hottono*, olim in hacce Academia medicinæ & Botanices Profeſſori, ſingulari litterarum commercio amiciſsimus, præcipuiſque Angliæ, Galliæ, Germaniæ, Italiæ medi-

cis acceptiſsimus, idem de *Hippocrate* judicium tulit. Videatur Tractatus ejus *de Fibra motrice* Clementi XI. Pontifici Romano dicatus, pluribus in locis, ac præſertim §. 1. *in Practicen novam*, ubi in præfactione tractaſſet de methodo Neotericorum, „ cum igitur, inquit,
„ compererim hac via me numquam ad optatum exitum perventurum, miſsis cæteris libris
„ totum *Hipocratis* me ſtudio tradidi, aliquam
„ bene medendi rationem inde aſſequturus. Et
„ cum eum non ſemel relegiſſem & prope memoriæ mandaſſem, proprio marte volui in
„ Italiæ Noſocomiis dictorum illius periculum
„ facere, nec ſine admiratione deprehendi Doctrinæ illius veritatem tamquam ex Tripode
„ prodeuntem. Cognovique illum demum eſſe
„ verum artis medicæ Ducem, magiſtrum, &
„ auſpicem: diuque hanc veritatem expertus
„ liquido cognovi raro illum in ægrotorum curatione aberraturum, qui omnes *Hippocratis*
„ textus memoria comprehenderit, deinde noverit illos ſimul componere, compoſitoſque conferre ad curam; in quo certe tota praxeos
„ ſapientia conſiſtit ... Hæ ſunt deliciæ *Hippocraticæ* quarum epulis ſoli fruuntur, & ſaturantur, quibus diſcendi ſtudium eſt *ab uno*
„ *Hippocrate*: cujus quidem quælibet ſententia,
„ veluti Senatus Conſultum, litem componit
„ in arduis morborum curationibus.

Idem in Epiſt. ad *N. Andry*, medicum Pariſ.

riſ. med. Lect. , ac Profeſ. Reg. Sic ſcribit
„ Je ſuis ravi de voir par votre Lettre , qu'
„ en ce tems, ou la medicine eſt comme ſur
„ le point de perir , par les ſpeculations, &
„ les hypotheses, dont on l'accable, il se trou-
„ ve en France des eſprits eclaires , qui vo-
„ ient le danger qu'elle court , qui reconnoiſ-
„ ſent, que l'unique moyen de la conſerver ,
„ c'eſt de fuir le faſte des opinions, *& de re-*
„ *courir a Hippocrate pour apprendre de lui* ,
„ *comme de l'Interprete de la Nature* , *le che-*
„ *min de la verite*.

Doctiſs. *Pallilius* in Epiſt. ad *Bagliv.* allo-
quens quoſdam *Hippocratis* detractores, chemia
maxime infatuatos „ Nonne vides, ait quantam
„ ſibi gloriam in tua Batavia (Noſtrum *Le*
„ *Mortium* præcipue alloquitur) comparaverit
„ omni ævo memorabilis Sydenhamus? Ille er-
„ rores quamplurium noſtri ſæculi medicorum
„ detegendo ſeſeque *Hippocratis* præceptis ad-
„ dicendo, praxim medicam a nebulonibus de-
„ turpatam ornavit, defendit, reſtituit. Quam
„ non famam ſibi peperit in Galliis . . . *Du-*
„ *retus* omni æternitate dignus , quod *Hippo-*
„ *cratem* tam bene intellexerit & illuſtraverit ?
„ &c.

Infinitus ero ſi omnes, qui hoc modo de *Hip-*
pocrates germaniſque ejuſdem Diſcipulis locuti
ſunt, Auctores retulerim. Pauca ex his delibaſ-
ſe ſufficiet , quæ abunde evincunt quantus in

medicina faciunda *Hippocrates*, qualiſque fuerit.

Quibus ita ſtabilitis vel ſponte cadunt, quæ in Praxeos exercendæ inconſtantiam afferuntur, cum XXIII. Sæculorum examen demonſtraverit Praxeos unam eſſe modo methodum, quæ obſervata religioſius proſperos, neglecta vero ſiniſtros dedit effectus. Unde videor defunctus officio reſpondendi ad hanc ſecundam Theoſeos objectionem. Verum ut ipſo opere demonſtrem quid Hippocratica veritas cuntis præſtet opinionibus, unum atque alterum exemplum afferam rerum earum quæ maxime in diſputationem cadunt, quæque præcipue in medicorum proferuntur opprobrium; quorum alterum MISSIONEM SANGUINIS ſpectabit DIÆTAM alterum.

Primo itaque objicientes in medicinam audimus ſæpe claros aliis in diſciplinis viros, quod noverint medicos complures, miſsione ſanguinis ubique fere utentes, alios eam ubique fere improbantes; eandem frequentius alios uſurpantes, rarius alios; nonnullos vidiſſe ſe, ajunt, qui gauderent quod in acutis per M. S. & purgantia ægros in debilitatem extremam conjeciſſent, alios iterum, qui eam licet vicibus crebram, tamen copia pauciorem inſtituerent. Recenſent nobis nationes integras, quarum aliæ minus magis aliæ in M. S. inclinent. Temporum meminerunt quibus paucos, temporum quibus plurimos,

rimos, ſe adhuc viventibus, venæ ſectio nanciſcebatur patronos. Quibus pathetice recenſitis vel in diverſas diverſi ſententias, quo fundamento ipſi viderint, abeunt; vel ſtabilem Medicinæ Baſin eſſe præfracte ne-gant.

Sane M. S. plurimos lethi e faucibus eripuit, & ſanitati reddidit: verum cum aliis egregiis ſanitatis, aut conſervandæ aut reſtituendæ adminiculis triſtem hanc ſortem ſubiit, ut, quia ſæpius prodeſſe viſa, ubique fere convenire deprædicaretur. Hinc tandem mortalibus ingens hominum caterva per M. S. interire animadverſa. Proximum erat ex his oppoſitis obſervatis animum acuere, ut tandem quibuſnam in morbis, aut quonam morborum in ſtadio, aut quibuſnam ſubjectis profuerat, nocueratve diſtingueretur ut *pag.* 24. dixi caſtos illos naturæ obſervatores primævos mortales feciſſe. Verum ut plerumque fit in rebus humanis, quod qui opinionem reprehenſione dignam reprehenſurus ſit præ vi diſputandi, ceu rapido flumine abreptus, in oppoſitam plane ſententiam, non minus priore a vero aberrantem, abeat; ſic magna cum hominum pernicie in medicina contigit: dum medici noxas ex intempeſtiva M. S. natas condemnaturi, eandem propemodum proſcripſerunt. *Dum vitant ſtulti vitia, in contraria ruunt.* Nam & qui M. S. numquam fere non laudant, & qui eam ubique vituperant, ut & omnes qui ex præjudicata opinione in eandem minus, vel

nimium

nimium inclinant æque infortunato cum ſucceſſu utrique agunt. Æterna ſcilicet obſervata, quæ collegit, tradiditque *Hippocrates*, quæque *Aretæus Cappadox*, & quotquot caſti Naturæ obſervatores in huc uſque diem exſtiterint, confirmarunt abſque exceptione ulla docent.

1. M. S. optimam uno in morbo, in alio peſsimam eſſe.

2. M. S. in eodem morbo certa quadam inſtitutam die, arcere mortem, quam alio die inſtituta accelerat.

3. M. S. ad certam copiam factam curare integre; ad minorem copiam morbum accendere; ad copiam multo majorem ex acuto morbo producere Chronicotatum, qui hominem plures per annos excruciet.

4. M. S. ad eandem copiam, in eodem morbo, eodemque in morbi ſtadio celebratam ægrum unum Lethi e faucibus eripere, Letho alium tradere.

Primam hancce veritatem innumeris obſervamus exemplis, ubi M. S. in morbo calido acuto inflammatorio ſæpe cum maxime prodeſt: in languido inerti mucoſo, plerumque obeſt. Hinc videas *Hippocratem*, & quotquot ipſum ſequuntur, M. S. inſtituere, vel omittere, prout horum alterutrum plus minus obniteat; cum in Acutis ſæpe Naturam effrænam ad moderamen ducere neceſſe ſit, ubi eidem languenti, & inerti in Chronicis potius calcar addi oportet.

Quam

Quam praxim numquam ſatis laudandus confirmat Sydenhamus, qui tantas ubique laudes de M. S. canens. Eidem tamen pag. 84. multorum originem malorum adſcribit; imperitos Medicos perſtringens qui V. S. Catharſi, & Regimine inepto ſuos ægros febre intermittenti vernali laborantes, ad extremam debilitatem ducebant, ita ut cum eadem in Autumnum uſque conflictarentur, inque ipſam quandoque Maniam inciderent. Timetque quoque a V. S. in Tertianis autumnalibus, maxime ſi illa conſtitutio fuerit admodum Epidemica; quia niſi febrim ilico confodiat, ſolet illam quam pertinaciſsimam efficere, ita ut senes haud raro inde ipſam mortem ſubeant M. S. in Quartana autumnali adeo obeſſe cenſet, ut qui juvenes intra VI. Menſes juxta earumdem febrium decurſum liberati fuiſſent, adhuc per VI. alios menſes eandem corriperentur; ætate autem provectiores longe adhuc pejus inde afficerentur. Videatur quoque hic loci *Tulpii Obſer. Med. Lib.* 4. *cap.* 52.

Idem *Sydemhamus pag.* 446. in Podagra docet V. S. licet in hoc morbo a multis, ut proficua deprædicetur, illum tamen immaniorem, atque frequentiorem reddere; nec inſtitui oportere, niſi forte per accidens. Ut v. g. quando patiens juvenis eſt, & immodica pergræcatione inſigniter calefactus. Confirmavit id nuperrimum eremplum Principis, qui cogens Medicos

ſuos

ſuos aliquod ut excogitarent remedium, quo illico a Paroxyſmo liberaretur, poſt M. S. aliquantiſper liber fuit; deinceps vero malum ita incruduit, ut qui antea bis in anno, dein omni forme menſe paroxyſmo vexatus ſit.

Tamen hujus veritatis ignorat eſſe complures Medicos, non eſt quod inficias eam: quos *Molierius* in Comœdia pulcre depinxit, veluti quibus in omni Morbo aliud vix agendum videtur quam *Saignare Clyſterare, & Purgare*; & ſi morbus ſit pertinax, *Reſaignare, Repurgare, Reclyſterare*.

Dixi ſecundo *M. S. in eodem morbo certa quadam die inſtitutam, arcere mortem, quam alio die facta accelerat*.

Sic in acutis febribus M. S. mox initio facta, in corpore plethorico, robuſto, juvenili, calidiſsimo, nullis adhucdum ſignis apparentibus quæ doceant in Reſolutionem, vel Criticam evacuationem abituram Naturam, egregie juvat: Eadem inſtituta in eodem morbo die 4. finito, 5. 6. &c. hominem plerumque peſſumdat. Sanguinem enim pauculum, qui in venis reſidens labentem vitam utcumque ſuſtinebat jam educunt; ſanguine reliquo compacto, in arteriis hærente, nec revulſione, quam intendunt, juvando; quin & Naturam fatali fere neceſsitate eo perductam ut in ſuppurationem, ceu unicam citi interitus evadendi viam, abeat, ita proſternunt, ut huic negotio plane impar reddatur.

Ob-

Objiciet quis ex ipso *Hipp.* contrarium apparere; ſi quidem ille *Epidem.* 3. *pag.* 1104. *in ægro octavo*, *Anaxionis* pleuritide ſæva, & quidem ſicca laborantis hiſtoriam tradens, ubi omnia notabilia ſymptomata ad ſextum uſque diem narraverat, ſubjungat: „ Fotus nihil „ profeciſſe, ſeptima die moleſte habuit; nam „ & febris intendebatur nec dolores remiſerant, „ & tuſsis infeſtabat, & difficilis ſpiratio ine- „ rat. Octavo die ſecuerunt in cubito venam, „ multus ſanguis, qualis debuit, effluſit, dolores „ certe remiſerunt . . . . 34. die ſudore per „ totum corpus diffuso . . . judicatione abſolu- „ tus eſt prorſus.

Reſp. Ipſum *Hipp.* textum objectionem totam diluere; cum ex eo pateſcat poſt inflammationem Laterum, primam ſubſequutam eſſe alteram priori non mitiorem. Quæ cauſa impellit nonnumquam prudentem Medicum, ut in hoc ancipiti casu V. S. inſtituat ultra primum inflammatorium morbi ſtadium. Unde Foeſius notat hoc veluti rarum quiddam ab *Hippocrate* notatum, quia veteres non solebant M. S. poſt IV. diem inſtituere.

Dixeram 3. *M. S. ad certam copiam factam curare integre; ad minorem copiam morbum accendere; ad copiam multo maiorem ex acuto morbo facere morbum alium Chronicum, qui hominem per totam fere vitam excruciet.*

Uno eodemque exemplo hujus triplicis propoſi-

poſitionis membra probantur. In initio Febris acutæ inflammatoriæ ſævisſimæ, sanguis detractus, donec ſymptomata levari, & vires vitæ debilitari incipiant, ex largo vulnere fluens ſæpe ſanavit ægrotum: ſanguis detractus ad parvam quantitatem, ex vulnere parvo, febrim longe ferociorem, citiuſque tenella corporis vasa deſtruentem effecit: ſanguis denique miſſus, donec ſymptomata omnia mitigata prorſus, vireque omnino proſtratæ ſint, homines reddidit languidos, & tota vita ineluctabilibus quandoque Morbis conflictantes.

Hinc ſapiens ubique *Hipp. lib. de Locis in homine pag.* 416. tradens Curationem Peripneum, & Pleurit. recenſenſque compendio quæ aliis ſparſim locis habet, religioſe vetat febrim continuam per VII. dies omnino sedare, sed tantum, ne nimis ferociat, moderari jubet.

Aretæus Cappadox in curat. Pleuritidis S. M. tantum jubet ad Symptomatum Tolerabilitatem, neutiquam ad eorum integram ceſſationem. Ideoque M. S. repetendam potius eſſe ſemel pluriesſve, ſi expedit, quam una vice Naturam omnino proſternere.

Idem in *Angina* vetat V. S. ad caloris febrilis integram ablationem.

Mirum profecto quod *Sydenhamus* hanc in rem scribit *pag.* 124. in febre peſtilent. & peſte annor. 1665. 1666. Miris ibidem exemplis docet V. S. ad copiam debita minorem inſtitutam

tam omnia mutaſſe in pejora, impedientibus ſcilicet ægrotantium neceſſariis crudeliter commiſerantibus, ne fieret V. S. largior. Pejus propterea eſſe ſanguis non ſatis, quam omnino nihil miſiſſe: ſiquidem in teterrimo hoc morbo, non miſſo ſanguine ſudor provocari poterat, qui ſæpe peſtem profligaverat; miſſo vero pauco sanguine, provocari omnino non poterat: unde & hiſce ægrotis pereundum fuit. Quæ eadem M. S. ad ſufficientem miſſa, & repetita copiam, Tumoribus Peſtilentialibus nondum apparentibus, erumpentibuſve, felici Curatione beaverat ægrotantem. His vero binis neglectis Regulis, V. S. peſsima quæque produxiſſe. Quam rem a pleriſque ignoratam conqueritur magnus ille vir in cauſa fuiſſe ut *Diemerbroekius* aliique M. S. in Peſte proſcripſerint.

Objicietur forte contra hanc 3. propoſ. ipſa *Sydenhami* auctoritas, M. S. tam copioſam in Pleuritide præſcribentis, ut vires omnino proſternantur, & febris ſuffocetur plane juguleturque. Cur ergo is, inquient nonnulli, non metuit ne Chronicos in Morbos ægrotantes conjiceret?

Reſpondeo *Sydenhami* methodum hac ſaltem in parte bonis atque confectis in arte Viris minus probari, utpote qui teſtantur ſæpe ortum hinc se vidiſſe id quod immortalis *Hippocrates* Vates prædixerat: atque hoc ipſum teſtari quantæ molis ſit Medicinam cum unoquoque Medi-

co

co renaſcentem velle ; quandoquidem ingens alioqui *Sydenhamus* hac in parte minus rite proceſſerit . Qui ſi Hipp. legiſſet, aut ſaltem ut Ducem ſecutus eſſet, procul dubio felicius Pleuritides ſine inſequenti Naturæ languore curaviſſet . Vid. pag. 26.

Quarta propoſitio eſt hæc : *M. S. ad eandem copiam, in eodem morbo, eodemque in morbi ſtatu peracta, uni prodeſt, obeſt alteri ſummopere*. Triplici modo hæc propoſitio vera eſt.

1. Ratione apparentium evacuationem.
2. Ratione cauſæ morbi.
3. Ratione ſubjecti.

Quoad primum, exemplo ſit Peripneumonia. M. S. facta in ſtatu inflammatorio, nullis adhuc dum ſignis evacuationis naturalis, aut reſolutionis, conſpectis, morbum ſæpe jugulavit, hominemque reddidit ſanitati : Alium vero hominem in mortem, ejusve ſaltem in ingens periculum conjecit, dum celebrabatur eadem, qua in priore, & copia & morbi die ; ubi Natura jam cœperat per bona ſputa, aut per urinas, aut per alvum materiem morbificam ad exitum præparare, aut & re ipſa eliminare : Quæ in hoc ſuo negotio evacuantibus impedita, ceu telo confoſſa ſuccumbit.

Hic juvabit adnotaſſe quomodo Cl. *Petitus* Pariſ. Medicus in ſuis eruditis ad *Aretæum Cappadocem* Commentariis in cap. *de curat. peripn.* mira-

mirari ſatis, & ſecum concoquere nequit V. S. ab *Hippocrate* prætermiſſam fuiſſe eo maxime in loco ubi hujuſce Morbi curationem tradit; laudat vero *Aretæum*, quod illico in hoc morbo M. S. inſtituat.

Verum quid iſtuc rei eſt? Magnus *Hipp.* conſueverat Morbi curationem cujuſcumque ſic deſcribere, quemadmodum ab ipſa curari Natura ſæpe obſervabatur; ſive per benignam Reſolutionem, ſive per Criticam evacuationem, ut per ſputa, per alvum, per urinas, per hæmorrhagias varias &c. ſive per bonam metaſtaſin. Medicum vero vocat θεραπευτην id eſt Miniſtrum, cujus tantum eſt Naturam, an ſalutarem ſibi viam paret, e propinquo obſervare, eique, ſi viam bonam affectans debilior exiſtat, opem ferre. Hinc ſæpe Miſſionis ſanguinis in *Peripn. Pleurit.* aliiſque inflammatoriis morbis ne vix quidem meminit. *Aretæus* autem *Cappadox* traditurus Curationem horum Morborum, ponit Medicum ad primordia mali ſtatim accerſitum: quando de morbo jam conſtat, nullis adhuc dum reſolutionis vel criticæ evacuationis indiciis apparentibus: quo in caſu M. S. periculo egrum eripit.

Hinc *Hipp.* generalem regulam ſtatuit, juxta quas evacuationes omnes inſtitui oportet *Lib.* 3. *de Morb. pag.* 488. jubet enim ibidem alvum, non purgare, ſed lenire, primis

diebus invadentis Pulmonum, Laterum, Capitiſque inflammationis. Sed illud *Lenire alvum* jubet magna fieri cum circumſpectione. Si enim multum per alvum ſecedat, mortem, ait, poſt diem v. affore. Quid ita? Quia Natura curationem molitur per evacuationem, morbi genio convenientem. In *Peripn.* & *Pleurit.* plerumque per ſputa bona ſatiſque copioſa „ Secedente autem per inferiora humore „ ſuperiora ſiccefcunt, neque ſputum per ſuperiora repurgatur. „ Quæ ergo meta agenti? „ inferiorem igitur alvum neque nimis ſiſti oportet, ut ne febres increſcant; „ neque nimis dimitti, ut ſputum ſurſum dimitti poſsit, utque æger viribus valeat „. Idem paulo poſt in Pleuritide repetit, ex hoc exemplo ſimul intelligimus cur ſapiens ille Naturæ obſervator omnes omnino evacuationes prohibeat.

Neutiquam ergo hi Magni Medicorum Parentes *Hippocrates*, & *Aretæus* contrariam curandi tradidere Methodum.

Quod eo evidentius pateſcit, ſiquidem & ipſe *Hipp.* deſcripturus officium Medici, qui ad ægrotum hujuſmodi accerſitur, crudo omnino exiſtente adhuc morbo, Rem eodem, quo *Aretæus* modo exordiatur.

Sic *Libr. de rat. Vict. in acut.* generalem regulam cudit; quam juxta Medicus agat, dicendo „ In morbis acutis ſanguinem detra-

„ hes

„ hes „ qua lege? „ Si vehemens fuerit mor-
„ bus, & qui ægrotant ætate florenti fuerint, „ & virium, robore valuerint „. De ſputis, alvo, urina, &c. non dixerat, utpote de his agens, in quibus horum appareat prorſus nihil.

Lib. de affect. intern. In varice pulmonis cum tuſſi ſicca, rigore, febre, & orthopnoea jubet M. S. iterum eadem de cauſa.

Lib. de diæt. in acut. Jubet in Angina, ſi vehemens cauſa hanc inflammationem fecerit ſanguinem ilico mitti; quam M. S. *Lib. de locis in homine* ex Raninis inſtituit venis, & ex Brachio præcipit.

Lib. 3. *de morb.* in volvulo, ſeu ileo ubi ſummis ilico antiphlogiſticis Naturæ ſuccurrendum eſt M. S. commendat.

Evidentius iterum *Lib.* 1. *de morb.* in Pleurit. & Peripn. jubet M. S. ſed qualibus? ſiccis; ubi nullas affectatas a Natura vias cernit medicus.

Iterum *Lib. de diæt. in acut.* loquitur de V. S. vel alvi ſolutione inſtituenda in Pleuritide quando dolor manet continuus, ad calida fomenta nihil remittens, nec ſputa minime prodeunt.

Objici contra poſſet M. S. &c. præcipi ab *Hipp.* etiam præſentibus ſputis *Lib. de diæt. in acut.* pag. 401.

Sed addit diſertis *Hipp.* verbis ſputa ab iis

aliena quæ apparere conſueverant, imo talia quæ ſemper Medicis damnantur „ ſi ſputa, „ ait Rufa, aut Livida, vel etiam tenuia, „ ſpumoſa, & florida „ ſputa nempe talia quæ nedum levant morbum, ſed quibus prodeuntibus morbus formidoloſius inſurgit.

2. *Ratione cauſæ morbi* nomine ejuſdem, propoſitio hæc quarta vera reperitur.

Sic *Hipp. Lib. de affect. intern.* in tradenda curatione doloris Iſchiadici, ejuſdemmet morbi diverſas intuens cauſas quarum altera frigida, calida altera eſt, nullam M. S. mentionem facit in curando dolore Coxario a Pituita orto: mox vero ubi ad eundem dolorem ex ſanguine ortum ſeſe convertit, M. S. imperat cum fomentis.

Aretæus Cappad. de curat. acut. lib. 2. cap. 5. commendat V. S. ſi volvolus ab inflammatione; eandem vero condemnat, ſi a cauſa frigida, vel a corruptione ortus fuerit.

Sydenham. pag. 101. 102. 103. M. S. præſcribit ad certam modo copiam in mania, orta ex inveterata Melancholia, & atra Bile; ſi vero in mania ab evacuationibus, & debilitate nata inſtituatur, furorem, dicit, ad tempus demitti aliquantulum, ſed tamen multiplici obſervatione conſtitiſſe quod poſt M. S. in perpetuam, ac prorſus incurabilem fatuitatem verſa ſit.

Denique obtinet hæc propoſitio *ratione ſubjecti*.

Hipp.

Hipp. Lib. de rat. vict. in acut. ut mox ante jam recenſui, „ in acutis ſanguinem de- „ trahes . . . . . ſi ægrotantes ætate florenti „ fuerint, & virium robore valuerint.

Aretæus de curat. Lib. 2. *cap.* 2. jubet M. S. in ſanguinis per pulmonem ſputo ; ſed ea lege, ut id non fiat, ſi æger tenuis, & ſanguine inops ſit.

T. Sydenham pag. 54. ſanguinem neutiquam miſit in pueris vel ſenibus, vel etiam in junioribus, diuturno antea morbo confectis, ut *pag.* 60. ait, dum in eodem ipſiſſimo morbo principem, ac primum locum Phlebotomiæ tribuebat, ſi corpora eſſent robuſta, athletica. Didicerat nempe fidelis ille Naturæ Diſcipulus, ſi phlebotomiam his imperaret „ quod ſanguis etiam num citra ejuſmodi im- „ minutionem plus ſatis debilis ſuæ deſpuma- „ tioni obeundæ prorſus impar redderetur. „ Unde totius maſſæ perverſio, ac proinde „ forſan ipſius ægri interitus ſequeretur.... „ Quamquam, pergit, haud me latet ægros „ temeraria S. M. multatos convenientium car- „ diacorum uſu aliquando ſervari, ſangui- „ nemque ad tenorem defæcationi ſuæ pera- „ gendæ idoneum reſtitui poſſe. Sed præſtite- „ rat plagam non infligi, quam ſanari.

Attamen, ut dixi, in eodem illo morbo in Athleticis corporibus Juvenum, in temperamentis ſanguineis ait V. S. ſine ſalutis pericu-

 lo

lo omitti non poſſe; qua omiſſa viderat Pleuritides oriri, Phrenitides, alioſque morbos.

En primum exemplum doctrinæ Medicæ, in tantam apud Medicos diſceptationem venientis, tam ſimplicis, tamen evidentiſque, ut miremur *Helmontium*, *Botallum*, alioſque in tantam ea ſuper re ſententiarum diſcrepantiam abiiſſe: cum Hippocratica, ideſt, juſta ipſam directa Naturam doctrina, tam nitide tamque accurate rem totam ſic extra omnem diſputationis aliam collocaverit, ut quid amplius circa eam dubites invenias prorſus nihil.

ALIA nunc tractanda venit diſputationis materies *de Diæta* ſcilicet, ſeu *victus ratione*, cum ſanis præſcribenda, tum ægris. Quam circa rem Litibus inter ſeſe Medici, vah quantis! belligerantur. Ut putem hoc maxime ex capite ſeſe ridiculos exibuiſſe. Raros quippe præter Hippocraticos reperias quorum ab altero alter non diſcrepet. An forte quia tantis per ſe involuta latebris res ſit? Certe Hippocratica adeunti tanta rei, ut prorſus ſtupeat, ſimplicitas apparet; mirarique quod hic ita ceſpitent multi, ſatis nequeat.

Diætæ præſcriptio tanti habita *Hippocrati* fuit ut in ſua jurandi formula juſſerit jurare Medicum „ ſe victus rationem, quantum fa„ cultate, & judicio conſequi poterit, ægris „ utilem præſcripturum „. Quam rem jurejurando confirmandam etiam Academiæ hujus

Pro-

Proceres religioſe velint. Sane videmus hanc tanti duxiſſe veteres ut de ea potius, quam de formulis concinnandis agant, rati nimirum bonam victus rationem tantum, ſi non plus, quam pulviſculos, pilulas, aliaſque laudabiles ex Pharmacopæa deſumtas præparationes, ad morborum curationem conferre. Unde pulcre *Hipp.* ſcribit *Lib. de Arte* „ Si in re medi- „ ca, aut apud Medicos Curatio ex purgan- „ tibus aut ſiſtentibus Medicamentis tantum „ conſtaret, parum efficax eſſet noſtra oratio. „ Nunc vero qui inter Medicos maxime cele- „ brantur, & victus ratione, & aliis etiam „ modis curationes faciunt; quæ non Medicus „ modo, ſed ne plebejus quidem omnino ru- „ dis ex arte profecta eſſe negare audeat.

Acturus idem *de Diæta ægrorum in acutis*, Libro auro contra cariore, putat vel hinc boni Medici utilitatem, neceſſitatemque pateſcere. Abſque ſtudio enim Medico ſciri poſſe a quopiam, medicamenti, aut alterius rei, V. C. Ptiſanæ virtutem; ſed abſque ſtudio Medico ignorari, quomodo revera ſeſe habeat morbus, quomodo danda ſit Ptiſana &c. qua forma, quo die, quove diei tempore.

Quæ cum abſque medico ſtudio ſciri nequeant, magnus ille vir ortos hinc credit eorum errores, qui abſque ſeria indagine rem pro imaginationis ludibrio definientes circa

omnia hæc capita in varias varii ſententias abiverant.

Hinc, ait, artem ipſam vituperari nulla quaſi eſſet, cum quod unus exibuerit Medicus, alter id damnet. Vulgus hinc pronum ut credat artem totam nil niſi ſpeciem divinationis eſſe; quia divinatores, haruſpices, augureſque ita inter ſeſe digladiari vident. Huc uſque *Hipp.*

Veniamus nunc ad Diætæ in acutis examen.

Quæritur 1. An alendus ſit æger? Affirmative *Hipp.* reſpondet. Quippe Bilis ipſi ubique multorum in acutis malorum origo eſt, quod experientia nunquam non confirmat: *Si* Bilis nil invenit, in quod agat, terribilia prodit ſymptomata. Vetus quoque Chylus humoreſque omnes longo repetitoque circuitu acriores fiunt, ſuaque, quibus continentur, vaſa deſtruunt, ni novo Chylo, ceu Balſamo, mitigentur.

Quæritur 2. Quid ſit dandum?

Cenſet *Hipp.* Ptiſanam, ſeu Hordei decoctum omnibus anteferendum aliis in acuto morbo. Cum nunc boni practici advertant opus eſſe cibis potibuſque fluidis, facile digerendis, putredini adverſis, ſiti contrariis, cauſæ morbi cognitæ oppoſitis; non datur aliquid Ptiſana melius, hiſque dotibus ditius; maxime ſi cum grato quodam acido miſceatur. Decocta panis

&c.

&c. huc quoque referuntur, quæ forte priore minus flatulenta.

Quæritur 3. Quandonam dandus cibus?

Reſp. *Hipp. lib. de Diæt. in acut.* ut in pluribus *aphoriſmis*, quod mox latius patebit, eo dandum tempore, quo febris vel abeſt, ſi intermittat; vel lenior eſt, ſi remittat.

4. Quoties dandus?

Reſp. *Hipp. ibidem* ſemel vel bis in die, prout æger dum ſanus exiſtebat conſueverat. Liceat hic cum pace Manium Hippocraticarum dicere, Europæos ſaltem Medicos diuturno rerum uſu obſervatuque didiciſſe, quod minori copia, ſed magis repetita, præſtet cibos exibere: cum viſcera vi morbi debilitata vel turbata nimia copia ſimul ſumta graviter laborarent opprimerenturque.

5. Qua vi, & copia, ſingula vice?

Hic tandem Hippocratica eluceſcit ſapientia. Vult enim primo conſideret Medicus quantum temporis ſit duratura febris: adeoque totus eſt in ſignis, quæ hoc doceant, tradendis. Hac re occupatur toto Libro *de Criſibus* huic innixus Regulæ. „ Criſium, quæ brevi „ meliorem fore ſtatum portendunt, eadem „ fere ſunt, quæ ſanitatis ſigna. Hinc *libro* „ *hoc citato*, *libro de Diebus judicat. de Coa-* „ *cis prœnot. in Epidem. in Aphor.* &c. „ jubet Medicum attendere ad omnia, quæ in ægro plus minus a ſtatu ſano receſſere, idque

in actionibus omnibus vitalibus, naturalibus, animalibus.

Hinc libro *de dieb. iudicat.* „ Magnam artis, inquit partem eſſe duco, poſſe, quæ „ recte ſcripta ſunt ſpeculari. Qui enim hæc „ noverit, iiſque utitur, is mihi in arte non „ multum falli videtur. Unamquamque ſane „ tempeſtatum anni, & morborum conditio„ nem exacte addiſcere oportet, & quiſnam „ morbus bonus, quis periculo conjunctus, aut „ in temporis conditione, aut in morbo, qui„ nam morbus longus ſit, & lethalis; longus „ quinam ſalutaris; acutus quinam lethalis, acutus „ quinam ſalutaris. Ex quibus tum judicato„ riorum dierum ſeries contemplanda eſt, tum „ etiam prædicendi facultas ſuppetit. Præte„ reaque *ex his, quibus, & quando, quamnam* „ *victus rationem præſcribere oporteat cognoſce*„ *re licet.*

Aphor. I. *n.* 12. docet Medicum quo pacto exacerbationum varietate, & temporis conditione, & excretionibus variis melioribus vel pejoribus citius, vel tardius apparentibus hoc agnoſcat. Præcipuum in hiſce fundamentum deſumit a diebus indicatoriis, vide *Aphor.* 2. 24. 4. 36. 4. 71. Quorum omnium exempla *in Epidemicis* tradidit.

Objicies ex ipſo *Hipp. Aphor.* 2. 19. „ A„ cutorum morborum non omnino tutæ ſunt „ prædictiones, neque mortis, neque ſanita-

„ tis

„ tis „. Hincque ſigna morbi longius breviuſque duraturi certa non eſſe, adeoque Regulas præſcribundæ Diætæ hiſce ſignis innixas haud admodum ſtabiles.

Reſp. Ideo *Hippocratem* ubique ſapientiſſimum ſæpe in tradendis ſuis prognoſticis addere ſuum ὡς ἐπι το πολυ, adeo ut exceptionem citra ullam hæ Regulæ non obtineant. Poſſet v. g. contingere in febre continua putrida, ut ſigna adſint omnia, quæ indicent fore ut brevi criſi ſalutari morbus terminetur: & interim, ut nonnumquam viſum, ad membranam ſuccingentem coſtas, vel alias nobiliores partes tota vis morbi metaſtice irruat; faventemque prognoſin reddat falſiſsimam. Verum Regulæ hæ ſpectant tantum conſuetum Naturæ ordinem, quo non turbato, paſſim ſic contingunt: adeoque ſummopere notandæ Medico, quia ſine iis boni nihil, niſi caſu tantum, efficiet.

Objicies 2. Ipſum jam olim *Aſclepiadem* ut vanum repudiaviſse delectum hunc dierum, & ad noſtra uſque tempora haud incelebres Artis Antiſtites eum plane ridere, contrarium videlicet quotidiana expertos praxi.

Reſp. cum prælaudato *Baglivo*, *Prax. med. Lib.* 2. *cap.* 12. §. 4. „ Mirari deſinant pra-
„ cticantes ſi hodie nec frequenter, nec per-
„ fecte ſuccedant criſes; ut olim in Græcia:
„ ſiquidem illarum Græcarum Legum vel i-

„ gna-

„ gnari , vel obtrectatores , a principio morbi , ad declinationem uſque, Purgantibus , „ Diaphoreticis , Phlebotomiis , Spirituoſis aliſque imprudenter, & intempeſtive exhibitis „ Medicamentis fere conficiunt ægrotantem : „ ideo impoſſibile eſt ut humores per tam „ diverſas Remediorum ſeditiones diſtracti ad „ criticæ deſumationis negotium ſtato tempore „ re diſponantur : Sed aſſiduis confuſionibus „ agitati , loco criſeos perfectæ in metaſtaſes „ præternaturales deſinant : atque hac de cauſa, nec criſeos , nec dierum criticorum, nec „ aliorum demum Naturæ motuum Regulas „ ab antiquis traditas in febribus obſervabimus „. Teſtatur autem ſibi juxta has Regulas agenti doctrinæ Hippocraticæ veritatem ubique obſervari. Videatur *cap.* 12. totum.

Fatentur equidem practici nonnunquam rerum differentia multarum has Regulas permutari : nam pro varietate materiæ morbificæ, ætatis , temperiei , climatis , temporis anni , ſexus , morbi citius tardiuſve κρινονται . Sic Peſtis , febre peſtilentiali ; Febris Peſtilentialis, febri ardente ; Febris ardens febre continua putrida acuta , judicatatur citius : imo idem acutus morbus diverſos homines affligens citius judicabitur in infante , cui dicente *Hippocrate*, calidum innatum majus , quam in adoleſcente ; in adulta ætate citius , quam in ſenio, in viro citius, quam in femina , cæteris pari-

paribus; æſtate citius, quam hyeme: in Cholerico, & ſanguineo citius, quam in Phlegmatico. Verum falluntur qui vel hinc obſervationum *Hippocrat.* auctoritatem labefactari autument; cum omnia eorum obſervata circa harum Regularum varietatem, ipiſſima *Hippocratis* ſint verba; qui cum ſuis generalibus Regulis etiam has exiguas varietates obſervari juſſit, quique ipſis exemplis in *Epidem.* has eaſdem obſervavit.

Majorem autem auctoritatem conciliavit ſuis *Hippocrates* obſervatis dum experiundi gratia, num hæ Regulæ ab antiquis obſervatæ, ſibique per continuam comprobatæ praxim in diſſitis quoque Regionibus æque atque in Græcia obtinerent, filios Diſcipuloſque, ut pridem dixi, quaquaverſum miſit, atque demum omnia, quæ ipſi notaverant, colligens diſerte affirmat ſub finem *Lib. prænot.* Et in *Lybia* (ardentiſſima Africæ parte) & in *Delo* (inſula Maris Ægæi ſive Archipelagi) & in *Scytia* (Regione priorum reſpectu frigidiſſima) has omnes Regulas cum ſuis exceptionibus comprobari.

Quibus omnibus perpenſis magnus ille Vir omnium has Regulas neglecturorum futuram in praxi infelicitatem cecinit vates: Lib. ſcilicet 1. *de Diæta*. „ Qui, inquit, omnibus his „ rejectis, ac repudiatis, aliam inventionis „ viam, aut modum aggreditur, & aliquid „ ſe inveniſſe jactitat, is cum fallitur, tum „ alios

„ alios fallit: Neque enim iſtud ullo pacto
„ fieri poteſt.

Hiſce ita ſtabilitis ſequitur ut Medicus varios in mente Canones ordinet, quos juxta ſciat quantum cibi, & qua vi dari oporteat: Regula generalis eſt tantum dari oportere, quo vires queant ſuſtineri, ut coctioni, & criſi ſufficiant.

Canon itaque primus erit quo brevior morbus, eo minus, & debilius offerendum, & contra. Si itaque in febri quatuordecim duratura dies tam tenuem, & parvam Diætam præſcripſero, quam præſcribere in febre 3. dierum debeo, æger meus conſumetur, antequam febris illa ſuum vigorem adepta ſit. Unde *Hipp. Aphor.* 1. *n.* 9. „ Conſiderare o-
„ portet etiam ægrotantem, num ad morbi
„ vigorem victu ſufficiet, & an prius ille de-
„ ficiet, & victu non ſufficiet; vel morbus prius
„ deficiet, & obtundetur „. Et *Aphor. ſeq.*
„ Quibus ſtatim morbi vigor adeſt, ſtatim te-
„ nuiter alendi. Quibus vero in poſterum vi-
„ gor, his ad illud & paulo ante illud tem-
„ pus ſubſtrahendum „. Antea vero uberius alendum, ut ſufficiat æger. Vide & *aphor.* 7. 8. *ejuſdem ſect.* 1. & *Lib. de Diæt. acut. pag.* 390. confer cum *Aretæi pag.* 74. *a lin.* 15. *ad* 20. *& pag.* 73. *a lin.* 21. *ad* 29.

Canon 2. petitur ex ætate ægri cognita; quo enim animalia origini propiora, vel ſene-

nectuti ſummæ, eo difficilius inediam ferunt. Infantes quippe perpetuo fere ſugere, & dormire videmus; qui proin deficerent, ſi quam tenuem diætam adulti ferant, eam & ipſi ferre cogerentur. Hinc dixit *Hipp. Aphor.* 1. *n.* 13. „ Jejunium ferunt omnium minime pue„ ri „. quid ita? Rationem dat *aph. ſeq.* „ Quæ creſcunt plurimum habent calidi inna„ ti, plurimo igitur egent alimento; ſin mi„ nus corpus conſumitur „. Rident quidam *Hippocratem*, quod creſcentibus plus calidi innati dixerit ineſſe; ſed tamen per ſeſe res evidens eſt. 1. Quia cor eo majus, proportione corporis (ſi prima poſt conceptum tempora excipias) quo animal ſuæ propius origini eſt; adeoque cor illud majores, ad extrema uſque, vires exercet.

2. Quia vi illa cordis majore humores per plura vaſa fluunt. Quod & præſtantiſſimum ex recentibus inventis *Farhenheytii* thermometron confirmat, quo infantes 1. 2. gr. cal. pluſquam adulti gaudere deprehenduntur.

Senes quoque dicimus inediam minus ferre poſſe; licet *Hipp. Aphor.* 1. *n.* 13. „ Senes „ facillime jejunium ferunt „ & *Aphor. ſeq.* „ Senibus, inquit, paucus calor, propterea „ paucis fomitibus indigent; a multis enim „ extinguitur „. Sed hinc non ſequitur, quod jejunium ferant commodius. Revera reſpectu caloris plura alimenta validius disflantis ſenes

ſenes dicendi forent jejunium tollerantius ferre, ut bene *P. Alpinus lib.* 1. *de præſag. vit. & mors. ægrot. cap.* 2. advertit ; ut & quibuſdam videri poſſet ex eo quod ſenes haud ita valide, quam pueri , appetere cernantur ; verum omnium ſæculorum obſervatu conſtat paucum illum in ſenibus calorem modica, ſed continua ali materie debere. Quare & apud illos, quibus jejunia indicere Religio mandat, ſenes veluti rude donati milites excuſantur.

Canon 3. deſumitur a ſtatu, & vehementia morbi, ſi cognoſcuntur. In vigore tenuiſſima & pauca, in adſcenſu, & deſcenſu eo plus, & meracius dandum quo magis diſtet a vigore morbus. Hoc jam pertractavi *ad* 1. *Can.*

Hordei infuſum, decoctum, cremor, puls, omnem hic abſolvunt paginam paucis verbis rem totam complectitur. *Hipp. Aphor.* 1. *n.* 7. „ ubi peracutus eſt morbus ſtatim eſtremos „ habet labores , & extreme tenuiſſimo victu „ uti neceſſe eſt: ubi vero non , ſed plenius „ cibare licet, tantum a tenui recedendum , „ quantum morbus remiſſior extremis fuerit. „ Vide & *Aretæi pag.* 74.

Canon 4. colligitur a loco quem æger incolit. Qui enim æquatori vicini tenuem victum facile , polis autem propiores difficulter ferunt. Hinc *Hipp. Aphor.* 1. *n.* 2. Jubet Medicum „ reſpicere Regionem „ & *Aphor.* 1.

n. 17.

n. 17. ubi generales Regulas antea recenſuerat, has non ita obligare cenſet quin aliquid concedendum ſit Regioni. Potiſſima autem ratio conſiſtit in frigidiore vel calidiore climate; cujus rei ratio mox dabitur.

Canon 5. habetur ab anni tempeſtate; cum conſtet Hyemem validiora petere, tenuiſſima æſtatem. Unde *Hipp. Aphor.* 1. *n.* 18. „Æſta-„ te, & autumno cibos difficillime ferunt, „ hyeme facillime, deinde vere. Hinc jubet „ Medicus attendat ad anni tempeſtatem qua „ morbi contingunt. „ *Aphor.* 1. *n.* 2. & *n.* 17. „ Quæ ratio hujus? „ Ventres inquit, „ *Aphor.* 1. *n.* 15. hyeme & vere natura ſunt „ calidiſsimi, & ſomni longiſſimi. In his igi-„ tur temporibus etiam alimenta plura exhi-„ benda: Innatum enim calorem majorem ha-„ bent. Nutrimento igitur copioſiore indi-„ get „. Frigus nempe extremum reddit corporis fibras hyeme, quam æſtate, rigidiores; quæ hinc fortiorem actionem ſimul exercentes, validiora, in quæ agant, alimenta requirunt; corpore alioqui citius defecturo. Quæ regula neglecta Medicos, qui magna cum laude in Italia aliiſve calidioribus Regionibus medicinam fecerunt infortunatiſsimos effecit, dum in Suecia, Dania, Polonia &c. ad Magnatum aulas advocati Septentrionales homines eodem, quo Italos, pede metiebantur. Sane in Aſia homines aqua, & fructibus horæis feliciſſime

degunt, faſtidiuntque frequentem ſolidiorum uſum: Borealibus vero populis carnes piſceſque ſaliti, atque alia dura alimenta cum meraca cereviſia conducunt, a tenuiore cibo minus bene ſe habentibus. Vide *Hipp. in lib.* 1. *de Diæta*.

Canon 6. conficitur a conſuetudine ægri, ejuſdemque Naturali temperie ſeu idioſyncraſia. Ratio eſt quia ſani lautiſſimis uſi, eaque facile difflant, ægrotantes quoque pluribus egent cum vaſa & viſcera his aſſueta ſint. Ajunt quidem vulgo, quo homo lautioribus aſſuetus, eum eo facilius toleraturum inediam; pauperem vero, cui res anguſta domi, difficulter: ſed peſſime falluntur. Homo enim ſobrius minima re contentus eſt, dum helluoni a minima inedia vaſa collabuntur. Quare & Dictator noſter *Aphor.* 1. *n.* 17. „ concedendum aliquid conſuetudini „ & cauſam præcepti hujus hance ait eſſe, quod qui copioſioribus, & lautioribus aſſueti ſunt, longe gravius ſubitam ferunt in tenuiorem victum mutationem: ita quidem ut „ a multo tempore „ conſueta, etiamſi fuerint deteriora, inſuetis „ minus turbare ſoleant. *Aphor.* 2. *n.* 50. „ Pulcrius vero *Aphor. ſeq.* „ Omne multum, „ Naturæ inimicum: quod vero paulatim fit „ tutum eſt; tum & alias, tum & ſi quis ex „ altero ad alterum tranſeat. *Libr. autem de* „ *Diæt. in acut. pag.* 391. pluribus exemplis „ quan-

„ quanta ſit conſuetudinis vis, quamque pe-
„ riculoſa cita mutatio, pulcerrime demon-
„ ſtrat.

Canon ultimus concinnatur a ſenſu leviore, vel graviore qui poſt aſſumta ſolet ſequi. Hæc demum erat ſapiens illa Antiquorum Medicina, qui a juvantibus nocentibuſve certam confecere doctrinam: ita ut *lib. de priſca med. Hippocrates* ex hacce obſervatione non modo natam fuiſſe medicam artem, ſed & ex eadem non naſci non potuiſſe ſcribat. Sic ſi ægro data fuit hora prima Ptiſanæ unc. I. iſque deinde levatum ſe ſentierit, dari ſeſquiuncia poteſt hora ſequenti: bene iterum hinc ſe habenti dabuntur hora tertia unc. II. a quibus ſi paulo minus recte habere videatur, imminuatur pauxillum. Sic juſta tandem menſura obtinebitur. Juberi cuſtodes ægrorum, maxime infantum, poterunt ſedulo ut advertant ab eo quod dederint num ſomni æque boni, Reſpiratio æque facilis &c. Hæc vera *Hipp.* methodus quam tradidit *lib. de Loc. in hom. a pag.* 419. *ad* 422. Ut & *lib. de Liquid. uſu pag.* 424. 425.

Hæc ſufficient, opinor, ut pateat quam ſimpliciſſima res, ſi ſemel bene intelligatur, ſic Diætæ in acutis præſcriptio; quamque firmæ innixa baſi contra omnes litigantes, interque ſeſe digladiantes Medicos, immota perſtiterit.

Neque majus negotium Diæta faceſcit ſanorum; quæ Regulis ſequentibus tota innititur.

1. Sanitatem perfectam ſe ipſam deſtruere, cum ſit aptitudo in corpore ad exercendas actiones: quæ aptitudo conſtat in determinata partium tam firmarum, quam fluidarum mobilitate: perfectam autem ſanitatem partes firmas ex ſua natura deterrere, fluidaſque conſumere. Hæc ſane probatione non indigent, cum æternum obſervatum ſit animalia deficientibus alimentis interire.

2. Hinc requiri ut quoad copiam, & qualitatem tantum, & tale reſtituatur, quantum, & quale perditur: loquor autem de homine *ακμην* adepto. Eſt *Aphor.* Magni *Sanctorii Sect.* 1. *n.* 1. *&* 10.

3. Cibum potumque, forte & aerem, huic reſtitutioni famulari, non quidem per ſe, ſed per actiones animales, vitales, naturales ipſius corporis, quibus ad loca requiſita, & re paranda applicantur. Sic *Hipp. lib. de alimento.* *Φυσις εξαρκεει παντα πασιν*. „ Natura per omnia ſibi ſufficit: ad eam extrinſecus quidem accedunt alia . . . . intrinſecus autem, „ & ex prædictis quædam, & ad hæc cauſa „ occulta, & toti, & parti; & cuidam etiam, cuidam vero minime „. Et paulo ante docuerat, id, quod uni alimento cedit, non cedere alteri, ut lac, vinum &c. Lac enim tam blan-

blandum, tam amicum humoribus humanis, non nutrit, ſed corrumpitur, & dira ſymptomata creat, ſi virtute corporis non ſubigatur; ut triſtiſſima & numero infinita exempla in infantibus &c. teſtantur.

4. Medicum ideo noſſe oportere quidquid corpori ingeri, aut applicari, ab eoque exerceri queat, quæ omnia titulo VI. *Rerum non naturalium* recenſentur, commodeque revocantur ad ingeſta, geſta, retenta, excreta, & applicata externa. Confirmatur ex *Hipp.* elegantiſſimo textu, qui ſimul, & priorum propoſitionum veritatem demonſtrat, ex *lib.* 1. *de Diæta*. „ Qui de hominis, inquit, victus ratione recte ſcripturus eſt, eum, meo quidem judicio, primum totius hominis naturam noſcere, ac dignoſcere oportet. Ac noſſe quidem ex quibus ab initio conſtet; dignoſcere vero quænam in eo partes ſuperent. Niſi enim primam conſtitutionem noverit, quodque in corpore ſuperet, ea quæ homini conducant minime offerre poterit. Hæc igitur quæ ſcripturus eſt, cognoſcere debet, deinde vero ciborum omnium, ac potionum ex quibus victus ratio conſtat; quam ſingula facultatem, tum ex natura, tum ex neceſſitate & arte humana obtineant. Scire namque convenit, quanam ratione ex valentibus natura vis detrahatur, & quomodo imbecillis; ut cujuſque occaſio ſe obtulerit

 „ vim

„ vim ex arte adhibere oporteat. Neque com-
„ memoratorum cognitio ad hominis curatio-
„ nem ſatis eſſe videtur, quandoquidem qui
„ comedit, niſi etiam laboribus utatur, ſanus
„ eſſe non poteſt. Cibi enim, & labores ad-
„ verſas inter ſeſe facultates, mutuo tamen ad
„ ſanitatem conferentes, obtinent, Labores
„ namque ea quæ adſunt, conſumere ſolent,
„ cibi vero, & potiones, quæ vacuata ſunt
„ explent. Laborum autem, quantum par eſt
„ facultas, tum eorum qui a natura, tum eo-
„ rum qui per vim contingunt, dignoſcenda
„ eſt, & quinam ex ipſis carnes ad incremen-
„ tum, & qui ad defectum preparent. Ne-
„ que iſta tantum, verum etiam conveniens
„ laborum modus, qui a nobis adhibetur, pro
„ ciborum copia, hominis natura, & corpo-
„ rum ætate, pro anni temporibus, & ven-
„ torum mutationibus, pro locorum ſitu, in
„ quibus vitam agunt, & pro anni conſtitu-
„ tione. Quin etiam ſyderum ortus, & occa-
„ ſus noſcendi ſunt, ut mutationes, & cibo-
„ rum ac potionum redundantias, Ventorum-
„ que & totius mundi ex quibus ſane morbi
„ hominibus proveniunt, obſervare ſciat. Ne-
„ que tamen cum hæc omnia cognoverit, ſa-
„ tis inveniſſe exiſtimandus eſt: Nam ſi præ-
„ ter hæc inventus fuerit cujuſque naturæ con-
„ veniens cibi modus, & laborum numerus,
„ qui neque ſupra, neque infra modum exce-

„ dat,

„ dat, ſanitas ſane hominibus exacte inventa „ fuerit.

5. Difficile eſſe hinc ejuſmodi cudere Regulas, quæ homini cuique ex æquo proſint, ob idioſyncraſiam, ſeu propriam cujuſque commiſtionem. Hinc *Hipp.* jubet Medicum curare oportere communia cuntis, & ſingulis propria intuentem.

Cæterum allatus mox ad *n.* 4. ex *Hipp.* textus hoc, abunde confirmavit. Idem *Celſus* ex *Hipp.* jubet *præfat. lib.* 1.

6. Ita ut eadem res in hominibus eandem vivendi normam ſequentibus ſæpe oppoſitos edat effectus: Hinc ſingulis hominibus *ſuam*, & integram ſanitatem ſervari, licet non tantum vario, ſed plane oppoſito modo uſum VI. Rerum non naturalium inſtituant: Sic quidem, ut ſi vivendi rationem permutaverint viciſſim inter ſe, mox utrique alieno more fruentes ægrotent, qui ſuo proprio morigeri rite valebant.

Probat hanc veritatem locus *Hipp.* ad *n.* 4. allatus. Confirmat *Baco Verulamius* exemplis integrarum nationum oppoſito more bene valentium, mutata vero viciſſim inter ſeſe vivendi norma, ægrotantium. Imo narrat *Brachmannos* ſeu *Gymnoſophiſtas* Indorum, qui in vitæ ſuſtentaculum nil, niſi quod de ſemine ſato ſupra terram, non infra, crevit, & aquam aſſumunt, ſaniſſimos vivere, fierique longævos.

 alio

alios autem Indos in eadem tellure carnibus pluribus utentes vivere quoque valentiſſimos; mutato vero more, utroſque ægrotare.

7. Ipſam conſuetudinem, vel Idioſyncraſiam, hinc tantam exhibere varietatem, ut prorſus incredibile ſit; ita ut mutatione ſubita, licet ex peſſimis in optima, periculoſius nihil. Docuit namque *Hipp. Aphor.* 2. *n.* 38. „ Paulo deterior & potus, & cibus, jucundior „ autem, eligendus potius, quam meliores „ quidem ſed ingratiores „. Craſſum proinde errorem erraret, qui ad hanc miram conſuetudinis vim, ceu alteram Naturam, non adverteret. Imo obſervavit ſapiens *Hipp.* hanc conſuetudinis vim contra conſuetum Naturæ ordinem obtinere, *Aphor.* 2. *n.* 49. „ Conſueti ſolitos, inquit, labores ferre, etiamſi „ fuerint debiles, aut ſenes, facilius eos ferunt, quam quidem inſueti, Robuſti licet „ juveneſque fuerint. „ Et *Aphor. ſeq.* „ a „ multo tempore conſueta, etiamſi fuerint deteriora, inſuetis minus turbari ſolent.

8. Ætatis, ſexus, temporis anni, regionis &c. diſtinctionem præprimis eſſe neceſſariam. Probatur ex teſtimonio *Hipp* ad *n.* 4. allato. Quin & idem ex *Hipp.* probavi, dum ea de re ſermo fiebat in acutorum diæta. Edaciſſima vetuſtas eripere nobis non potuit Epiſtolam *Dioclis* ad Regem *Antigonum*, quæ ſaluberrimis pro toto ſex rerum non naturalium

uſu

uſu juxta varia anni tempora permutando præceptis abundat.

Hiſce viſis Regulis Diætæ cum ſanis præſcribendæ tum ægris, rogatus de Diæta ſententiam reſpondere demum potero.

Rogatus an cibandus ſit æger? quomodo? quando? quibus &c. cibandus ſit? datæ antea Regulæ aptam formabunt Reſponſionem.

Rogatus de Diæta ſanorum ſententiam, reſpondere potero ad præſcriptos me Canones convertendo, alioqui ceſpitaturus.

Rogatus ultra, multum ne, an parum comedere præſtantius? Reſpondere in genere poſſum utrinque peccari: Nam „ non ſatie„ tas, non fames, neque aliud quidquam bo„ num eſt, quod naturæ modum excedat „. *Aphor.* 2. *n.* 4.

Tamen ſi in alterutram partem peccatur, dico peccata exceſſus facilius quam defectus tolerari; idque tum in ſanitate, tum in morbis. Medico enim auferre facilius quod abundat, quam quod deficit, apponere. Hinc *Hipp aphor.* 1. *n.* 5. „ in tenui victu delin„ quunt ægri; ob id magis lædunt. Omne e„ nim delictum quod committitur, multo ma„ jus ſit in tenui, quam in paulo pleniore „ victu. Propterea *etiam ſanis* periculoſus eſt „ valde tenuis, & conſtitutus, & exquiſitus vi„ ctus, quia delicta gravius ferunt. Ob hoc „ igitur tenuis, & exquiſitus victus, periculo-

„ ſus

„ ſus magis, quam paulo plenior.

Nihilominus exceptionem dico in hominibus obtinere, qui tenui valde diætæ aſſueti ſunt dudum; quos conſtat diæta in qualitate, aut quantitate, vel paululum excedente in ſumma pericula conjici. Clarum rei exemplum exhibuit *Ludovicus Cornaro Venetus* in Libellis ſuis *de Laude Sobrietatis*. Magnus ille vir *tract.* 1. quem 83. annos natus conſcripſit, narrat ſe vitio intemperantiæ more ſæculi ſui ſibi juveni multas conciliaſſe ægrltudines, ideoque a 35. ad 40. ætatis annum medicam opem fruſtra expertum, tandem id conſilii a Medicis accepiſſe, ut ſobrietatem coleret, quam ſæveveriſſime, ea ſpe fore ut contrariis uno omnibus ore affirmantibus. Conſilio huic parentem ſe vivendique normam ſenſim ſtrictiorem obſervantem, tandem fuiſſe ab omnibus, quibus antea fere ſuccubuerat ærumnis liberatum. Cum ætatis 78. annum ageret, pro unciis XII. quas quotidie ſumere ſueverat, ſe jam ſuaſu Medicorum unc. XIV. ſumentem in multa incidiſſe incommoda: a quibus non niſi antiqua tenuiſſimaque revocata Diæta convaleſcere potuit. *Tract.* 3. quem nonagenario major confecit, ſcribit ſe quotannis per duos menſes lethali fere languore corripi, ubi vinum cui aſſuetus erat, nimium inceperat veteraſcere, neque ulla ratione tunc refici potuiſſe, ab omni veteri vino pejus ſe habentem. Novo autem vino

vix

vix 2. 3. dies uſum, ilico priſtinæ ſe redditum ſanitati. Ergo tenui aſſuetis victui exceſſus pejor quam defectus. An ergo, ſi quis poſſet prima ſtrictioris diætæ incommoda perferre, ſeque deinde perpetuo ei addicere, promiſſam a *Cornaro*, *Leſſio*, &c. longævitatem indipiſceretur?

Dico quæſtionem hanc multa non carere difficultate. Exemplum *Cornari* multos, id ut crederent induxit. Nobilis ille Vir in omnibus ſuis tractatulis, quorum ultimum centenario major conſcripſit, ſuo, & Anacoretarum exemplo hujuſcemodi diætæ vim ita extollit, ut ſummam, amabilemque ſenectutem omnibus eam colentibus pollicatur; eandem vero negligentibus ſuæ ipſorum intempeſtivæ mortis cauſam imputet. Certe ſi quæcumque ille de tali vivendi ratione conſcripſit conſidero; ſi *Theſaurum ſobrietatis* a *Leonardo Leſſio* Theologo omnia, quæ *Cornarus* ſcripſerat multis confirmante exemplis, confectum pervolvo; ſi quæ *Flav. Joſephus lib. 2. bell. jud. cap.* 12. de *Eſſenianis*, quæ *Arnoldus* aliique de Eremicolis tradidere, perſcrutor; facile inducerer ſtrictiſſimam, & ad pondus menſuratam Diætam omnibus aliis ut anteferrem. Perpendenti vero contra quæ Practici teſtantur, multos ſcilicet ſapientiſſimos Viros vitæ tranquillæ & longævæ amore *Cornarum* imitando tam peſſime affectos eſſe, ut & tranquillioris, & lon-

gævioris vitæ ſpe ſimul exciderint, animus hæret. An ratio eſt, quod *Cornarus* exauſtus omnino fractuſque viribus, ac fere perditus hanc ſtrictam vivendi normam amplectendo tam comode eam tulerit; dum interea viri alii ipſum imitati corpore integro robuſto, ubi nullis adſtrictum legibus degebat perbelle valente, hanc *Cornari* Regulam minime perferre potuerint? Sane & Practicorum obſervata eo inclinare videntur. Nonne præterea multum huc facit quod *Eſſeniani* Aſiatici, *Anachoretæ* quoque Afri, vel Aſiatici fuerint, calidiſſimas proinde Regiones incolentes, ideoque ipſo naturæ ductu ad ſobrietatem apti? Videntur omnia obſervata id confirmare; cum jampridem conſtiterit eo voraciores eſſe homines quo polis propriores, eo magis ſobrios quo Equatori viciniores, cæteris paribus. Hinc Aſiatici illi in ſtrictiorem Diætam proniores, & aptiores dicendi videntur.

Porro ad vitam cum incolumem, tum longævam degendam ſtrictiſſime neceſſitatem diætæ ex dictis concludere nequeo. Imo ipſe *Hipp.* qui ad decrepitam uſque ſenectutem pervenit, allatis mox teſtibus eam condemnavit.

Hinc Latiniſſimus *C. A. Celſus*, qui in ſui ſæculi intemperantiam ingluviemque, ut ſanitatis peſtes, adeo invehebatur, hominibus ſanis ſuique curam gerentibus ſequens conſilium dedit *lib.* 1. *cap.* 1. „ Sanus homo, qui, &
„ be-

„ bene valet, & ſuæ ſpontis eſt, nullis obligare
„ ſe legibus debet, ac neque Medico,
„ neque Jatroalipta egere. Hunc oportet habere
„ varium vitæ genus; modo rutri eſſe,
„ modo in urbe, ſæpiuſque in agro: navigare,
„ venari, quieſcere interdum, ſed frequentius
„ ſe exercere.

Oggeret forte aliquis ſanam, & longam quorundam in Monaſteriis viventium vitam. Sed reſpondeo pauca exempla ex tot Myriadibus Monacorum, & Santimonialium juxta certam Regulam ſtricte viventium, nihil omnino probare; cum rariora concluſionum a communi deſumtam haud eludant. Scilicet, & ſuos quiſque patiuntur manes in cænobiis. Qui his invigilant Medici teſtantur plura certaque morborum genera ibidem obtinere: Monachis perpetuo oleorum uſui devotis Hernias eſſe, qnam cæteris, frequentiores. Inter Moniales Scirrhos, & Cancros Mammarum aliarumque partium crebriores contingere. Cæterum apud ſtrictiſſimæ Regulæ obſervantiſſimos ordines Melancholiam, & Hypocondriacas paſſiones plane domeſticas eſſe, & a priori facile concluditur, & a poſteriore evidenter demonſtratur. Ut proinde amabilem & longævam vitam a *Cornaro* promiſſam nullatenus frequentem hic reperias: ſed de hac queſtione ſatis.

Si roger præterea an aliquis cibus potuſque ſaluber ſit, v. g. Caſeus: cavebo ne præceps dede-

dederim reſponſum: ſed reſpondebo ex datis Regulis cum magno *Hippocrate*, qui ubi *Lib. de priſc. Med.* vetuerat quodcumque exculenti, & potulenti genus inſalubre aut proficuum pronuntiare niſi ad varias hominum naturas cæteraſque circumſtantias te converteris, dein arguit eum; qui Caſeum molum edulium dixerit, quia inde male quiſquam affectus fuit „ Nam inquit, ſi univerſæ hominum naturæ „ infeſtus eſſet, omnibus utique noceret „. Hinc jubet examinare prius qualis ſit ejus, qui Caſeum aſſumſit natura. Tum & nobis, quibus tot varia proſtant Caſeorum genera, prius determinandum foret Caſei genus. Eandem cautelam loco citato *Hipp.* obſervandam precipit in omnibus, quæ vel ingeruntur corpori, vel applicantur; ita quidem ut aliter nata ex his phænomena explicare, aut iiſdem recte uti, Medicus nequeat.

Rogatus quænam Diæta præſtet: ex mollibuſne, & ſponte auſcentibus, an ex acribus calidiſque?

Reſpondebo in genere prodeſſe alimenta mollia, natura ſua aceſcentia, acrimonia fere carentia. Sic panis, & aqua, triticum, hordeum, oryza, & id genus alia omnium deprehenduntur ſaluberrima, ſed præcipue hominibus robuſtis, corpus valide exercentibus. Iis vero qui inclinant in ſpontaneum acidum, in Leucophlegmatiam, debilitatem, incipientem Hy-

Hydropem, cætera ſanis, præcedentia non ſola, ſed cum acribus calidiſque conjuncta proſunt. Qui ſi utrique ſuum viciſſim inter ſe vivendi modum permutaverint, ægrotabunt.

An vero perpetuo hiſce erit hæc Lex obſervanda?

Reſp. Neutiquam, ſi cauſæ, ob quas præſcribebatur diſpareant. Diæta mutanda eſt ubi homines robuſti ſe minus exercent, quietem plus colunt, tum enim, ex aceſcente Diæta pejus habere inciperent: tum, & ubi debiliores antea exiſtentes Leucophlegmatiæ timorem jam ſuperaverunt, ſenſim Diæta permutanda erit, ne in oppoſitos morbos inclinare incipiant.

Quin etiam notabile eſt, homines præ Leucophlegmatiæ metu in ipſum Hydropen incidere poſſe, ſi diætam ex acrioribus, ſicciori-bus, ſalitis nimis diu pertinaciterq. continuaverint. Cujus rei memorabile exemplum ad Clar. *Hottonum* ſcribit *Baglivius in Diſſert. var. argumenti* nempe Cardinalis *Norriſii*, qui metu Hydropis quondam futuri, ſalinis, ſiccis, acribus, & calidis diu pertinaciterq. uſus poſt aliquos annos incidit in aſciten fatalem. Hydrops namque, & ab aquoſorum aceſcentiumque nimio, ac diuturno uſu, & a nimia continuaque calidorum, acrium, durorum, ſiccorum, tenacium aſſumtione, oriri obſervatur.

Qui-

Quibus omnibus perpenſis prolixiore concluſione opus non erit, ut, quam Medicinæ adeo inique inurunt, infamiam abigamus. Concluſionis tantum loco adſcribam magni *Hipp.* verba, qui ubi præclaros ſuos de Diæta, & Medicamentis Canones ſcripſerat, tandem *lib. de Loc. in hom.* ſic concludit: Ars ſane Medica jam mihi tota inventa eſſe videtur, quæ ſic comparata eſt, ut ſingulas, & conſuetudines, & temporum occaſiones doceat. Qui enim hoc pacto artis Medicæ cognitionem habet, is minimum ex fortuna pendet; ſed & citra fortunam, & cum fortuna, recte eam adminiſtrabit. Firma enim eſt ars tota Medica, ejuſque præceptiones, ex quibus conſtat, pulcerrimæ, fortuna minime indigere videntur.

§. III.

Situm diſpoſitionemque partium intra corpus latentium, imo vel ipſum externum corporis habitum, nonnumquam ita imponere medicis, ut in Diagnoſi, & Prognoſi alucinentur quam turpiſſime.

Objectio hæc vulgo creditur multis probari argumentis poſſe; quæ an probent agite videamus.

1. Narrat *Jacobus Rhoaltius Phyſ. part.* 4. *cap.* 2. Cadaver a ſe viſum, quodque apertum

tum exhibuit hepar in ſiniſtro potiſſimum latere, in dextro autem collocari Lienem. Idem *Riolanus* narrat. Unde Medicum ex partium ſitu de morbo judicaturum, neceſſario falli oportuerat.

2. Scribit *Tulpius Conſul Amſtelodamenſis lib.* 3. *cap.* 45. exemplis nonnullis conſtitiſſe ſibi quod homines aliqui arteriam in interiore carpo tam exilem haberent, ut pulſus ibidem ſentiretur debiliſſimus; qui iidem majorem arteriam in manus dorſo pollicem inter indicemque gerebant. Addit celebrem Medicum poſt explorationem pulſus in Carpo Senatoris Reip. noſtræ arteriam expoſito mox more habentis, tuncque temporis valentis pancratice, Senatorem peſtilentia laborantem pronuntiaſſe.

3. Quotidiana exempla docent quomodo ſigna adeo celebrata Medicis, quæ petuntur ex pulſu, Reſpiratione, urinis, ſæpe turpiter ſuos fallunt cultores.

4. *Hipp.* ipſe ſuo ſero ſapiens exemplo docuit quam ſint fallacia ſigna diſtinguendi fiſſuram Cranii, ab ejuſdem Sutura: quum fateatur ſe ex hac re ignorata hominem peſſum dediſſe: in quo ab injecto cominus in medium Synciput lapide, curando fiſſuram Cranii ſe latuiſſe ait, credentem aliud nihil, quam futuram eſſe: hinc non animadvertiſſe ſe hominem inciſione indigere. Ita *Epid. V. pag.* 1150.

5. Sapientes Medici viſi qui miſeram fœminam hydrope uterino, aſciten mentiente, vexatam, exemplum cæterum Caſtimoniæ, ut talem, quæ pudicitiam venalem haberent pronuntiaverint; & vice verſa quæ revera impregnatæ erant, has ullo modo gravidas eſſe negaverint. Leidenſis Profeſſor *Carolus Drelincurtius* miſeram ancillam Hydrope uterino vexatam vile ſcorbum eſſe dixit, donec defunctæ cadaver incidens puellæ caſtitatem fateri coactus fuerit, *Pariſienſium Obſtetricantium* aſſeveratione freti judices, fæminam dictam *Genevieve ſupplice* quæ ſe gravidam dixerat laqueo ſuſpendendam jubent; quam diſſecans *Riolanus* a V. circiter menſibus gravidam fuiſſe invenit. Vide *Riolan. cap.* 2. *Lib. VI. Anthropog.* Simila quid *Moricæus Maldes fem. groſſ. Lib. I. cap.* 117. a ſe viſum ait *Pariſiis* anno 1666.

En denſum agmen objectionum, quas ingenere prolatas, ſuis adjectis, ubi hæ deerant, hiſtoriolis adornavi, ne quidquam iis deeſſet. Quarum ad ſingulas nunc conabor ordine res, pondere.

Itaque ad 1. ſcilicet ad Rohaltii hiſtoriam. Quando natura variat in variis locandis corporis partibus non eſt quod inde prudens & ſagax Medicus in curando fallatur. Namque ſi a parte affecta quam falſo Medicus aſſignaret, oriretur inflammatio febriſque curam an-

tiphlo-

tiphlogiſticam internis externisque auxiliis applicando Medicus cujuscumque demum partis inflammationem æque curaret.

Verum ſecundo; Medicus non ex ſitu partium tantum judicat, ſed ex morbi Phænomenis, ab excretis a retentis ab actione læſa, & ſic porro. Pulcerrime hanc rem quotannis Cl. *Albinus* venerandus profeſſor meus, in Splanchnotomia Tab. IX. Euſtachii explicans, inculcare ſolet: quandoquidem a læſione in latere thoracis vix ſemidigitum profunda, vulnerari hepar, vulnerari pulmo, vulnerari diafragma &c. queat. Hinc pathognomica, ſi qua adſint, conſulenda vel apparentia ſaltem ſigna, quæ quanam in parte læſio obtineat, indicent. Cum nunc plerique hempatici morbi per liſterum ſeſe manifeſtari ſoleant, perſpicax Medicus ilico indicationem veram intelligeret.

Quod ſi tertio paulisper daremus ab hoc naturæ luſune dicam, an errore, Medicos falli, non eſt quod artem vel hinc vituperent adverſarii. Fiant tales luſus naturæ hiſque magis mirabunda; tamen firma ſuis inconcuſſa principiis perſtabit Medicina. Millenorum cadaverum inciſiones res exhibuere, ut juxta naturam in omnibus adeſſe ſolent; differentiis exiguis ad rem prorſus nihil facientibus hinc inde ab Anatomicis notatis. Quod monſtra abludant quod conſueto ordine alia excedant, hoc non infringet propterea Canones quos omnium

mnium ſæculorum ſeveriſſima confirmavit ſtabilivitque obſervatio. Neque apud ſolos medicos hocce axioma locum habet, ſed apud alios quoscumque. Hoc ſubvertere qui conatur, næ omnes vel ſapientiſsimos Viros in ſuis juxta conſuetum naturæ morem ferendis judiciis vituperat. Diſciplina quævis tantum a perfectis traditur.

Objectio 2. petita ex *Tulpio* aliud nihil quam medicum illum imprudenter egiſſe, docet; neutiquam vero medicinam hic ſuis deeſſe cultoribus. Revera pulſus ille debilis obſervatur initio peſtis teſtantibus, id qui peſti interfuere, Medicis: verum ex eo ſolo judidicium ferendum non erat. Unde *Tulpius* addit „ Impoſuit viro eximio inuſitatus hicce luſus. Quem ubi vidit cecinit ilico Palinodiam, & pertæſus præproperi judicii docuit ſuo exemplo NIHIL CONSILIIS MEDICIS TAM ESSE INIMICUM, QUAM CELERITATEM; Ars ſiquidem docebat ipſum & alterum carpum, vel, & in jugulo Carotidem tangere, ubi homo belliſſime valere viſus pulſumtam exilem exibebat: Quin & alia quoque indicia conſulenda forent, v. g. horripulationis, quæ primo invadentis peſtiferæ labis momento hominem concutit, vel ſplendoris amænorumque colorum ſubito oculiſquaſi exhibitorum, &c.

Objectio 3. ingens aliquando negotium faceſſit

ſit imprudentibus Medicis. Qui vero artem probe edocti ſunt, norunt quid demum certi ex pulſu, reſpiratione, & urina colligatur, quantiſque opus ſit cautelis ne decipiantur. Sciunt namque primo Pulſum arteriarum renuntiare conditionem definitam cordis, ceu primi motoris: indolem deinde, copiamque, & motum humoris noſtri univerſalis, unde reliqui humores omnes derivantur; tum & ſtatum varium arteriæ ipſius, quæ omnium Corporis partium fere primarium vas; denique in morbis materiæ morboſæ; & movendæ, & motæ, & excretioni paratæ, & jam incipientis ſecerni, indicem eſſe. Secundo, pulſum differre juxta ætatem, ſexum, tempeſtatem anni, actiones animi corporiſque varias, &c. Tertio pulſus vel bonus, vel malos, in genere dictos, tamen ſuas habere exceptiones, ut eſt v. g. *fortis* in Apoplexia; *debilis* in obeſis: *mollis debiliſque*, in ſæviſſima pleuritide ad huc incipiente, ſed in qua præ vi doloris ſuffocatur Reſpiratio.

Hinc bene *celſus* „ venis, inquit, maxime „ credimus, fallaciſſimæ Rei „ Cur ? „ quia ſæ„ pe iſtæ celeriores lentioreſve ſunt & ſexu, „ & ætate, & corporum natura. *Lib.* 3. *cap.* 6.

Quæ cum ita ſint haud percipio cur Medicinam hanc ob cauſam vituperent, quum ipſa Tyrones ſuos doceat omnes haſce differentias, atque exceptiones, quibus obſervatis bonum tan-

dem vaticinandi fundamentum præſto eſt; quumque in primis præcipiat & alia quoque conſulere ſigna, antequam Diagnoſis ac Prognoſis formentur: dicente quam pulcherrime *Celſo* loco mox citato „ Periti Medici eſt, non
„ protinus, ut venit, apprehendere manu bra-
„ chium, ſed primum reſidere hilari vultu,
„ percontarique quemadmodum ſe habeat; &
„ ſi quis ejus metus eſt, eum probabili ſer-
„ mone lenire, tum deinde ejus corpori ma-
„ num admovere.... Neque in tenebris ne-
„ que a capite ægri reſidere debet ſed illu-
„ ſtri loco adverſus eum, ut omnes notas ex
„ vultu quoque cubantis perſpiciat.

Scripſit equidem ad virum in aula Gallica Illuſtriſſimum *Philipæum Ludovicus le Comte*, ſe Medicos Sinenſes tam peritos in pulſu explorando artifices inveniſſe ut teſtetur eoſdem arteriam per $\frac{1}{4}$ horæ varie tentando & explorando tam exacte morbi cauſam, naturam, exitumque definire poſſe, ut contrario leventur arguantur nunquam.

Tamen an hoc verum ſit vehementer dubito; ſiquidem idem ſcriptor paulo poſt fateatur Medicis illis non ignota eſſe, quæ mox in Vroſcopis arguemus, fallendi artificia. Ut tandem crediderim nihili faciendam ipſorum ſcientiam eſſe. Vid. *le Comte Hiſt. chin. epiſt. VIII.*

Quoad Reſpirationem; hanc Medicina docet. I. deſignare Conditionem preſentem Cor-

dis.

dis , Pulmonum , Cruoris , Liquidi cerebelloſi , Membranæ ſuccingentis coſtas , Thoracis ; Diaphragmatis , Abdominis : 2. Eandem variare pro ætate , ſexu , tempeſtate anni , motu animi corporiſque temperie . 3. Exceptiones in Diagnoſi & Prognoſi habere ; cum v. g. ſuffocativa Reſpiratio , brevi alioqui Lethalis futura ; in Melancholicis , & Hyſtericis talis non ſit , nec etiam in Aſthmaticis , quibus eadem jam in conſuetudinem verſa ſit. 4. Malignos homines dolo malo reſpirationem mutando Medicum turpiter fallere , ni attendat , poſſe . Hæc ſunt quæ Medicina de hoc ſigno docet ; ultra nihil quæ nihilominus imperitis vituperatur , quaſi citra ullas exceptiones generalia tantum effata proferret .

Tandem urineæ ſigna mirum quam ciſcumſpecte medicina tradat . Docet namque primo urinam variam eſſe in eodem homine , & in aliis illi comparatis , pro varietate ætatis , ſexus , temperiei , tempeſtatis anni , ſex rerum non naturalium , ac præcipue aſſumtorum . Hinc ſecundo Vroſcoporum artem hucuſque notam ubique fallaciæ pleniſſimam eſſe , ſi Medicus in ferento ex ea judicio non ſimul ad reliqua apparentia in ægritudine ſigna advertat . Tertio tantem cum his cautelis declarare urinam , ut plurimum , ſanguinis indolem impetum , ſymptomata morbi , coctionis , ſecretionis , & criſeos ſtatum ; morbos partium per

quas, aut juxta, quas urina perfluit; ut & aliquas in bile, & ex bile natas egritudines, cætera, ſi ſola ex urina, ſola conjiciuntur, admodum in certa, & ridicula fere eſſe, artiſque apud imperitos honorem in opprobrium vertere.

Hinc candide faſſos audivi claros in arte viros *ultra* hæc ſcire ſe nihil. Jactitent alii quantumcumque voluerint, arcanam ſuam, quam utinam poſſiderent! Scientiam: vel ipſi coacti verum fateri inſcitiam prodent, aut eventis ſaltem, apud emunctæ naris homines, convincentur falſitatis. Ætatem conſumere qui vellet omnia vel notiſſima ridiculæ hujus aſcientiæ exempla conſcribere, dum nempe quamvis morbi ſpeciem cujuſque morbi ſtatum mortem omnino non affuturam, vel certo inſtantem, aſſumta intra corpus omnia, geſta corporis animique, hominis ætatem, ſexumque, graviditatem, & alia ex ſola urina conſpecta hariolari ſe poſſe jactitant. Cum vel Nebulonibus, qui Medicos ſcientia vana turgidos animi gratia nonnumquam decipiunt, notiſſimum ſit, urinam ſaniſſimi hominis, quibuſdam clanculum aſſumtis teterrimorum exhibere morborum indicia. Haud inficias ivero, quod ſæpe plus, quam alii Medici conſulentibus reſpondeant: ſed unde plus reſpondeant, inquirendum. Ignarum nempe vulgus plus loquitur ſæpe quam locutum ſe eſſe novit; ita ut attentus Vroſcopus hanc tacite ſecum ſimplicitatem ridens plenis tandem

dem buccis vatem agere incipiat; vel & aſtute percunctando, quaſi aliud agens, quid demum reſpondeat, ſatis noverit. Rogatus a noſtro *Bevervvykio*, *Thomas Fienus*, *Lovanii* olim in Medicina Profeſſor, ſuam ſuper Vruſcopia ſententiam, reſpondit, hanc potiſſimum ob cauſam id ſe proſequi negotii, quia cernebat hinc complures nummos Medicorum in crumenas redundare; quoad auctoritatem ſibi in reſpondendo conciliandum, ajebat artificioſe interrogando ignaros plebejos, prudenterque ex interrogatis conjecturando, ſæpe rei ſe poſſe veritatem detegere. Vide Beverce. thes. morb. Lib. 1. cap. 2. Cum vero rerum peritus & circumquaque attentus, ne in conſiderate quid effutiat, quo reſponſurus Vroſcopus fulciatur, conſultationem init, videmus magnoſillos Artifices aqua hærere, vel turpitudinem prodere ſuam. Sic amicus quidam meus, juvenis, ſuam propriam ſaniſſimam urinam aſtute detulit ad famoſum Vroſcopum, a quo hoc reſponſi recepit, urinam nempe eſſe fœminæ octuagenario majoris, anxietatibus in Hypogaſtrio vexatæ & neſcio quæ futilia alia. Memini narrantem me audiviſſe Cl. *Boerhavium* quod hujuſmodi jactatori dixerit, ſe depoſito, quodcumque ille vellet, pretio, aliquot urinalia cum virorum debilium urina, alia urinalia cum urina fœminarum viraginum, notis vroſcopo incognitis cuique, urinali appoſitis; inter

ter ſeſe invicem permixturum: quod ſi ex permiſtis urinalibus ille tunc virorum poſſet a fœmininarum urinis dignoſcere pretium lubenter ſe perſoluturum. Verum prudenter abſtimuit jactabundus homo ab hoc pacto ineundo.

Itaque quum Medicina ſobrie ſapere ſuos cultore doceat, & juxta certiſſima indicia cautam diagnoſin Prognoſimque formare præcipiat, manet ei, æternumque manebit ſuus honos; quidquid in eam deblaterentur ignari, quaſi ſua ipſius auctoritate imprudentiam quorundam tueretur.

Verum in artis tutamen & aliud addendum. Bonus Medicus juxta prudentiam artis ſecum perpendens ægritudinem, videmſque probabilem inſtare mortem, cavet quacumque animi Religione poſſit, ne id æger internoſcat: quandoquidem infinitis exemplis conſtet mortem prius dubiam, aut ſaltem remotam longius, percepto mortis timore, propiorem certioremque accidiſſe. Unde *Hipp. Lib. de decente habitu.* „ Neque, inquit, quidquam eorum, quæ in„ ſtant, aut facta ſunt, ipſis indicet. Idcirco „ enim multi ob commemoratam inſtantiam „ aut poſt futurorum prædictionem, ad extre„ morum alterutrum detruſi ſunt. „ Quale præceptum & *Aratæus Capp. pag.* 102. *in curatione ſincupes* dedit. Ergo hæc ægrum celanda ſunt. Si neceſſarii ejuſcordati conſtanteſque animo fuerint, is Medicus, quid ſubſit, indicare

care poteſt; certus quod ægrotantis animum timore mortis dejecturi non ſint; ſæpe vero & inconſolabiles amici Medicorum monita çælare vis poſſunt: Hinc Medicus ab una parte rem indicare veretur; ab altera parte præ animis Religione hominem eo diſponi optans, ut efficiat ea, quæ mortalem vitam cum immortali jamjam commutaturo conveniant, aliquid ſubindicare cogitur. Porro ſi Mors brevi ſubſequatur, vituperant amici Medicum, quod ipſe mortem certo pronuntiare nequiverit, ni forte quidam ultra pergant, aſſerantque mortem ſua ipſius culpa accidere debuiſſe, qui abſolutum ipſe periculum preſagire non potuerat. Nonne certum eſt vel hinc periti ſagaciſque Medici in dubium vocari peritiam, vel etiam aliquando artis firmitatem?

Quarta hujus §. objectia petitur ex errore; quem magnus *Hipp.* ipſe faſſas eſt. Verum error hic, nec artis nec proprium peccatum confitentis vitio cedit. Quid enim? ſecundo §. dixi multis experimentis; & periculis captis Artis tandem formam acceſſiſſe Medicinæ: ſi ſigna proinde diſtinguendi cranii fiſſuram ab ejuſdem futura nota omnino haud erant, quo tempore *Hipp.* hunc errorem commiſerat, num ne vel hinc artem floccifacias? Eodem argumento aliarum artium diſciplinarumque detrahes auctoritati, quas omnes tempore, & uſu perpoliri exornarique neceſſe fuit. Quin & infortunium

in-

inſons *Hipp.* anſam dedit excogitandi Methodum, qua error in poſterum præcaveretur. Unde in *Libro de vuln. cap.* jubet atramento affuſo, dein deterſo, explorare ex atramenti reliquiis futuram an fiſſata ſit, certis aliis deinde ſignis hujus rei diagnoſin cultiſſimam auxit ditavitque Chirurgia. Ut proinde neque ex hoc Capite contemnenda ars ſit.

Verum præterea tantum abeſt, ipſi Hippocrati vituperio hoc cedere, ut bonum virum ſummis potius laudibus accumulet: quippe qui ſemel deceptus adeo propriæ famæ non ſtuduit ut inſontem tunc temporis errorem poſteris tradierit, quo præmoniti in quos ſcopulos ipſe impegerat, hos ii evitarent.

Unde & apud magnos viros praclara hanc ob cauſam gloria eluit æternumque eluet *Hippocratis* men. ſic *Celſus Lib.* 8. *cap.* 4. „a futuris, inquit ſe deceptum eſſe *Hippocrates* „ memoriæ prodidit, more ſcilicet magnorum „ virorum, & fiduciam magnarum rerum habentium. Nam levia ingenia, quia nihil „ habent, nihil ſibi detrahunt. Magno inge„ nio, multaque nihilominus habituro, conve„ nit etiam ſimplex veri erroris Confeſſio; „ præcipueque in eo miniſterio, quod utilitatis „ cauſa poſteris traditur, ne qui decipiantur „ eadem ratione, qua quis ante deceptus eſt.

Unde *Plutarchus* notante *Foeſio*, hanc ingenuam erroris confeſſionem ita celebravit, ut

eum

veluti exemplum, quod imitentur, cunctis proponat eruditis „Qui reipſa proficit, ait, Hip-„ pocratem ſibi imitandum proponit; errorem „ ſuum de capitis futuris profitentem, & in „ ſcriptis referentem; ſecum indignum videri „ reputabit ſi, (cum ille errorem ſuum indi-„ carit ne cæteri in eundem errorem incide-„ rent,) Ipſe quidem ſuæ ſalutis cupidus, „ non audeat ſuam ſtultitia, & inſcitiam pro-„ dere atque confiteri.

Hinc & ipſum imitantur quotquot in arte boni extiterint unquam. Ingens Sydenhamus vira deo clarus in arte, ut ſatis ſuperque antea viſum fuerit, fatetur candide quod, ubi per XX. annos in curandis febribus feliciſſimus fuerat (ita etiam ut *Baglivio* Medicus Febrium κατ' Ἐξοχὴν audiret) tandem febrim Peſtilentialem, ſeſe nondum a priori, methodo eggreſſus, primum inde ægrotantem Matronam plurimum læſerit. Quem certe errorem, inſons quamvis fuerit, tamen poſteritati tradere veritus non fuit, ut ipſius infortunio ſaperent cæteri. Vidi *pag.* 121. 122. ut & *pag.* 556.

Memini audiviſſe me narrantem celeberrimum ubi vis Boerhavium, juniorem ſeſe aliquos commiſiſſe errores, quos ſubindicaſſe e noſtra re fore exiſtimabat: imo ne veritus quidem fuit laudatiſſimo ſuo Chemico tractatui caſum inſerere, quo Tyrones Præceptoris infortunio edoceremur, quanta ſit prudentia in arte opus: quam-

quamque pernicioſum ſit ex juvenili ardore tumidum ſucceſſu Medicum ab unius curatione ad curationem alterius concludere. Vide *proceſs.* 192. *tract. chem.*

Perpauci ſunt, fateor quibus tam nivei candoris pectus ſuperi largiuntur: at diffitebitur nemo longe tranquilliore vita homines uſuros, ſi magni in omnibus ſcientiis & Diſciplinis viri, quos ſubinde, ut ut leviuſculi fuerint, errores committant, pro eo, quo ſunt, candore faterentur. Quod cum inaniſſimo famæ deroganti metu negligant, diſſidia ſtudiaque partium inter ſuos Diſcipulos, per fas & nefas ſuorum quoſque Preceptorum figmenta propugnantes, alunt foventque; atque ita omnium hinc oriundorum malorum cauſſæ, exiſtunt.

Supereſt ad 5. hujus §. objectionem reſpondeam. Fateor horum omnium quamplurima, & extitiſſe olim, & hodiedum extare, exempla. Verum ſimul in his omnibus artis ſalutifera prætervideri monita affirmo; quæ certam in certis, in dubiis dubiam, nullamque in plane incertis reſponſionem dari conſulentibus velit. Verus eſt qui de *Drelincurtio* caſus narratur; at artis ille, quam tam egregie callebat, præcepta prætervidit. Pariſini obſtetricantes, quorum craſſiſſimi errores in objectione narrantur, artis ſuæ vel ignari, vel ſaltem obliti fuiſſe videantur; quando ex menſtruo perſeverante fluxu, vel ex habitu pleniore corporis, haud im-

præ-

prægnatas mulieres pronunciavere. Quoad objectam difficultatem de diſtinctione difficili graviditatem inter hydropemque, haud plane diſſentior. Celeberrimus in obſtetricia arte *Moriceus* obſerv. 70. 148. 294. ut & alibi plura exempla fœminarum attulit, quæ ſimul, & hydrope, & comuni IX. menſium morbo laboraverunt. Hinc certe plures fallerentur neceſſe fuit, ſi horum ex alterutro alterutrum negaverint. Idem Moriceus graviditatem cognitu aliquando tam difficilem eſſe obſervat, ut XXIV. exemplis demonſtret fæminas gravidas fuiſſe, quas impregnatas fere nemo ſuſpicatus erat, niſi qui ultra conſuetas pronuntiandi Leges & contra pertinaciſſimam fœminarum negationem, ad alia reſpiciebat. Quod cum aliquibus in caſibus fieri nequeat prudentes in arte viri ultra id, quod ars promittit, progredi non auſi cavent ſibi a præpropero nimis pronuntiatu; ne alios turpiter fallant ipſique fallantur. Quamvis, & hoc ſæpe accidiſſe conſtat, quod in ambiguo caſu data a rerum perito dubia reſponſio, tamquam certa in vulgus ſpargeretur: quæ deinceps veluti certi prognoſtici, aut diagnoſtici gloriam non merenti adſcriptis, vel peſſimi Vatis ignominiam inſonti inuſſit.

§. IV.

§. IV.

Ipſos Medicos ſuam curtam prodere ſuppellectilem, dum quotquot probi inter eos exiſtunt, ingenue fatentur complures ſe morbos ſanare non poſſe: imo plures morbos eorumve cauſas ſe ignorare.

Hoc jam olim quamvis non Medicus eleganter cecinit. Naſo Lib. de Ponto Eleg. IV.

Non eſt in Medico ſemper relevetur ut æger,
Interdum docta plus valet arte malum.
Cernis ut e molli ſanguis Pulmone remiſſus
Ad ſtygias, certo limite, ducat aquas
Adferat ipſe licet ſacras Epidaurius Herbas,
Sanabit nulla vulnera cordis, ope.
Tollere nodoſam neſcit Medicina Podagram
Nec formidantis auxiliantur aquis.

Magnus quoque *Hipp.* & candidi omnes Medici id fatentur, arctoſque quibus præclara ars circumdatur, cancellos pandunt. Omnes boni Philoſophi, Mathematici, quin & ipſi Sacrorum Oraculorum interpetres infinitis in caſibus ſcientiæ, artiſve, quam colunt, anguſtos limites agnoſcunt. Hinc videant qui hanc ob cauſam Medicinam vituperant, in quantos quamque venerabundos alios viros ſtulte inſiliant.

Verum ut, cum aliis, hoc commune habeat Medicina, quod in nonnullis deficiat; tamen id inſigne præ aliis habet, ut ex iis ipſis quæ ſuam

ſuam excedere poteſtatem agnoſcit, doctrinam cumprimis utilem conficiat.

Ita Magnus *Hipp. lib. de Artic. pag.* 824. 825. de inſanabilibus locutus. „ Hæc ad artem, *inquit*, Medicam nihil pertinere dixerit „ forte quiſpiam. Nimirum quid attinet de „ his, quæ nullam aplius curationem admit- „ tunt, copioſiorem adhuc doctrinam facere? „ iſtud vero plurimum refert. Eadem enim „ notione, cum iſta (nempe curatu poſſibi- „ lia, & impoſſibilia) inter ſeſe ſeparari ne- „ queant, comprehenduntur. Danda ſiquidem „ opera eſt, ne quæ curationem admittere „ poſſint, incurabilia evadant; proſpicientes „ quanam potiſſimum ratione prohibeamus, „ quo minus eo deveniant ut incurabilia red- „ dantur. Quæ vero nullam curationem ad- „ mittunt proſpicere etiam oportet, ne maxi- „ me noxia efficiantur. Prædictiones autem „ ſplendidæ & laude dignæ ex eo exiſtunt, „ quod dignoſcamus quonam, & quanam ra- „ tione, aut quando res quæque exitum habi- „ tura ſit, ſive eo tendat ut curationem reci- „ piat, ſive curationis ſpem adimat.

Jucundum erit aurea hæc Hippocratis verba tripartitim diviſa paulo propius conſiderare.

Vult primo a curabilibus morbis incurabiles diſtinguamus, ut nervos contendere omnes, antequam incurabiles fiant, moneamur. v. g.

in Pleuritide, in Peripneumonia, accerſitus Medicus vere Hippocraticus præmente habet hancce Doctrinam, quod ſcilicet, ſi ſæviat nimium morbus, ſuboritura ſit vel immedicabilis nobilium gangræna partium hominem brevi peremptura: vel ſuppuratio earundem partium, quæ ſi rupta, ſurſumque repens ægrum ilico non ſuffocet, eum Phthiſicum reddet, poſt viros cruciatus, & miſeram vitam utcumque protractam; mortem illatura; ni forte rarus caſus contingat, quo homo bonitate naturæ pus ex vomica ſua cum ſucceſſive, tum integre evacuet, ulcere dein probe deterſo, atque mandato: vel ſcirrhi, hincque aſthmata dira, & diuturnæ ærumne, ſi morbus eo uſque debilitetur, ut ingens languor furori ſuccedat, quæ miſerum ægrum excruciabunt crudeliſſime, vel ſubitaneæ morti ereptum, lentæ tradent.

Hinc ſapientis Medici in ægrorum ſalutem intenti eſt morbi impetum tam prudenter moderari, ut nec a ſævitie nimia gangræna fiat, abſceſſuſve harum partium, nec a moderamine nimio vires omnino proſternantur. Dixerat ingens *Hipp. Aph.* 2. *num.* 42. „ Solvere „ Apoplexiam vehementem quidem impoſſibi„ le, debilem vero non facile. „ Hinc ſane divina eſt doctrina illa, quæ me doceat ad prima eaque manifeſtiſſima ſigna futuræ propediem Apoplexiæ cunctis velis contendere rem-

remiſque, ut illa, quæ ſemel nata, atque fixata, vel omnino non, vel ſaltem difficillime curabilis eſt, in ſuis primordiis præfocetur. Scio Phthiſin, maxime hereditariam, incurabilem eſſe, ni prius ſanguinis ſputum præcaveatur. Quare meum erit ſedulam navare operam ne umquam Hemoptœ contingat, qua ætate illa in hacce familia contingere ſolebat. Hæc utilitas prima, eaque cum maxime inſignis, doctrinæ de inſanabilibus morbis.

Alter ſcopus *Hipp.* tradendæ hujus doctrinæ eſt, ut præcaveatur, ne, quæ inſanabilia mala ſunt, magis noxia efficiantur; ſed ut reddantur quantum ejus fieri poteſt, tolerabilia. Vocatur Medicus ad hominem cui ex inflammatione ventriculi, aut inteſtinorum tenuium ſcirrhus in loco firmatus remanſit; quem certe novit eſſe paſſim incurabilem. Novit proinde ſuarum tantummodo partium eſſe, ut hominem tali Diætæ, tali vitæ Regimini addicat, quæ nulla rationem ſcirrhum irritare poſſint, Jubeatque ab omnibus religioſiſſime abſtineat, quæ vitam adhuc utcumque tolerabilem, ſcirrho jam in dirum mutato cancrum, quovis carnificio intolerabiliorem reddant. Podagram firmatam Medicina, quantum ſcio, inſanabilem pronuntiat; quidquid jactitabat olim *Paracelſus*. Quin, & ipſe in Cæsaream aulam accitus reſpondere proſſimis non potuit. Empyrici complures inani ſpe fefellere Magnates,

quibus & nummos infinitos emunxerunt, & morbum reddidere pejorem. Namque vel ad tempus tam feliciter eum profligarunt, ut immanior longe frequentiorque deinceps redierit, vel ita ab iis, quas occupabat exedebatque, partibus fugarunt, ut nobiliora viſcera occupans mortem intulerit: ut ante aliquot annos patuit uſu Radicis *Ariſtolochiæ rotundæ*, ſive *tenuis*: quæ, ut narrantem audivi Clariſs. Virum *Ooſterdyk Schagt*, Præceptorem meum maxime venerandum, hac in urbe ceu ſummum in Podagra arcanum venditabatur: cujus ope curationes miræ viſæ; ſed tamen hoc infauſtiſſime cum ſucceſſu, ut deinde quamplurimi morerentur poſt diriſſima ſymptomata, nec diſcrimine evaderent alii, niſi peccante materie ad illud, quod obſederat, ante membrum revocata. Qui hoc novit Medicus unam habet, ad quam confugiat, ſacram Anchoram; ſcilicet Diætam vitæque Regimen tale, quo obſervato morbus longa annorum ſerie tolerabilis fiat, aggrediaturque cum vicibus rarior, tum ſævitiæ mitior.

Jure ergo meritiſſimo Cl. *Boerhaavius* in laudatiſſima *atrocis rariſſimique Morbi Hiſtoria altera pag.* 2. „Utinam, inquit, firma lege „ conſtitutæ eſſent notæ, quibus medicus ſa- „ nari, neſcios dignoſcere queat Morbos, atque „ ab iis, qui artis opem tractabiles admittunt, „ caute diſtinguere? Nonne felicius longe di-

„ ſci-

„ ſciplina hæc poſſet exerceri? Vel ea utique „ gratia imprimis, quod contrariis ſæpe re- „ mediis haud exaſperaretur, quod corrigi ne- „ fas. Utinam in ordinatas ergo Claſſes di- „ geſtos cerneremus morbos ſanabiles, atque „ inſuperabiles penitus! ne negligenter illi, „ ne temere hi, quotidie tractarentur ab his, „ qui præterquam quas res ipſa habet mole- „ ſtias, majora ſæpe incommoda arte inani „ aggravant.

Tertio denique tantum abeſt ut inſanabilium doctrinam dedecori eſſe Medicinæ credat *Hippocrates*, ut potius immortali eam gloria hinc clareſcere cenſeat; quando Medicus probe inſtructus ejuſdem limites exilire non auſus futura prædicit. Unde & alio in loco Medicum, qui morbum omnino ſanari impotem inſanabilem eſſe pronuntiat, non minorem artificem eſſe cenſet eo, qui ſanabilem curat. Videri poteſt *lib. de Arte*.

Addi forte pro quarta ratione poſſet doctrinam inſanabilium malorum hinc utilem eſſe præprimis, ut pro ſua quiſque virili ſtudeat aliquid, quod morbum ex hac lugubri Claſſe eximat, indagare. Namque, ubi in Catalogo Medicorum video Phthiſin veram, Apoplexiam illam quæ *Hippocrati* ἰσχυρὴ nuncupatur, ſcirrhos completos Cancroſque extirpatu impoſſibiles, Podagram, vulnera complura &c. pro inſanabilibus haberi, non eſt quod

 cre-

credam nemini umquam ſanabilia fore. Veſicæ urinariæ perfectio *Hippocrati* lethalis fuit, ac revera erat; poſterior autem ætas comprobavit ope Catheteris Urina perpetuo educta, perſanari vulnus, illudque ita inſanabilium Claſſi exemit. Venerea Lues dum Europæos primum invaſit incurabilis habebatur; deinde vero mortalium induſtria curabilem ſe eſſe demonſtravit. Vidimus §. 2. vulnera a telis Indorum venenatis inflicta fere incurabilia, deinceps uſu herbæ *Mungos* curata fuiſſe. Narrat *Hieron. Cardanus* fuiſſe hominem in Longobardia adeo vagabundum, ut ad compoſitum ordinatumque vivendi genus perducere eum nemo poſſet, qui idem inſipido Medicamento Cancros reipſa curabat; quem, quia arcanum ante mortem non revelaverat, credit *Cardanus* æternas jam apud inferos penas luere. Qualis hiſtoria, & de homine alio in Patria Leodienſi, & Brabantia idem efficiente ſcriptis proditur. Quidni & in humanarum calamitatum ſolamen idem aliquando tum in hiſce, tum in aliis, futurum credamus? Dies forte dabit, quod hora negat. Interim quamdiu ſapientiſſimo, & beneficentiſſimo rerum omnium Moderatori hunc nobis favorem concedere non placet, noſtrum erit præclaræ intra limites Artis quietos & contentos eſſe.

Ultimum quod in objectione dicebatur, ſpecta-

ctabat morbos quoſdam, quos ipſos, eorumve cauſas Medicus ne indagare quidem poſſit. Hujus rei exemplum unum, alterumque dedit Cl. *Boerhavius* in hiſtoria mortis Nobiliſſimi Architalaſſi noſtri *de Waſſenaar*, & Marchionis *de S. Auban*: quos binos tractatus eo conſcripſit ſcopo, ut oſtenderet impoſſibile fuiſſe hos morbos quiſquam ut a priori cognoſceret: deinde ut ſi hos eoſdem morbos deinceps aliquis cognoſceret, ſimul curationis intelligeret impoſſibilitatem. Vide *Hiſt. primæ pag.* 60. & *Hiſt. ult. pag.* 29. & 30. Verum ſi vel hinc Medicorum ordo minoris habeatur, crediderim & reliquarum ferme omnium ſcientiarum Proceres longe minoris, quam nunc merito habentur, habendos fore. Probi viri eſt magni facere quotquot in commune bonum eo, quo a Deo donati ſunt, lumine utuntur; nec minori eos honore proſequi, qui ultra limites ſibi circumdatos exſilire non auſi, ignorantiam quarundam rerum vireſque imbecilles, candidi fatentur.

§. V.

Homines plures abſque Medicorum ope curatos.

Lib. de Arte hanc ſibi objectionem refellendam *Hippocrates* ſumens, ait vel hinc Medi-

cinæ majeſtatem, atque gloriam ſummopere inclareſcere; ſiquidem homines citra adhibitos medicos ſanati, cæco tantum impetu, & caſu aliquid geſſerint, vel non geſſerint; aliquid ſibi inceſſerint, vel non ingeſſerint; aliquid ſibi applicuerint, vel non applicuerint; ex quibus factis, vel omiſſis melius pejuſve habuerunt. Quod ſi ergo hi forte fortuna ſanitatem adepti ſunt, tanto majoris medicinam eſſe faciendam; utpote quæ ex antiquis, & perpetuis obſervatis ejuſmodi Regulas habet, quæ doceant an, quæ, quomodo, quibus, & quando omnia hæc facienda, vel omittenda ſunt. Sane hiſce *Hippocratis* verbis verius nihil. Si enim homo artis Nauticæ plane ignarus per indomitum mare nave vectus, felicem tandem portum nanciſceretur, hic nauticam Artem non niſi ſumma cum injuria vituperaret, cum e contrario Artis hujus præſtantia vel hinc maxime innoteſceret; utpote quæ ejuſmodi præcepta tradat, quibus vela componere, gubernacula dirigere, evitare ſyrtes, ventos obſervare, acum contemplare nauticam, & infinita id genus alia edocti nautœ, id ſemper ex arte faciunt, quod jactator ille ſemel fortunato caſu fecerat. Qui idem ſi ventos procelloſos, ſi incognitos ſcopulos offendiſſet, naufragium paſſus fuiſſet, quia ex arte inſtructus non erat.

Sic fateor, ſanantur caſu aliquando citra Medici opem homines, idque longe, lateque fama

ſama divulgat ; ſed quot homines e contrario non accerſito Medico intereant , atra tellus abſcondit , gremioque occultat ſuo . Qui vero ſanantur ſi ſine Medico , ſaltem non ſine Medicina , ſanantur : cum ignari omnino id vel geſſerint , vel non geſſerint , quod ex firmis artis principiis bonus Medicus facere , vel omittere , vel moderari ſe oportere , e re fore judicaſſet .

§. VI.

Sanatos homines adhibitis quidem Medicis, ſed iiſdem vel ab ægro, vel a Pharmacopola deceptis.

Fateor nonnumquam id contingere quod objectio prima parte habet: Cauſamque cur ſic nonnulli emergere periculo viſi ſint, triplicem reor.

1. Homines hi malum nacti erant Medicum , ſpontaneoque appetitu ducti ejuſmodi ſumſerunt quibus bonus Medicus ad morbum expugnandum meliora non noviſſet. Hoc poſtea patebit §. VII. Vel 2. peccarunt hi ægri contra Medici mentem in re minimi momenti , ita tamen ut præcipuum curationis ſcopum evertere non potuerint. Vel 3. graviter peccantes in Medici præceptum bonitate Naturæ morbum nihilominus vicerunt. Hoc §. VIII.

VIII. latius. Verum quot miſeros contra numerare liceret, qui ſic agendo peſſime habuerint? Bene ajebat *Hipp. lib. de Arte*. Homines fortunæ adſcribere, ſi qui bonum nacti Medicum, eique obaudientes emergerent; medicorum vero imperitiam accuſare, ſi qui contra eorum præcepta clanculum peccantes interirent. Imo iis, qui Medicorum monita ſpernunt, morientium numerum denſo augeri agmine credit.

Hinc ſaltem patet non niſi fortuito ejuſmodi homines convaleſcere, plurimos vero ſua ipſorum culpa interire. Ergo neque vel hac ex parte Medicina vituperanda.

Verum ſi digredi extra orationis cancellos, vel paululum liceat, adnectam libenter unam alteramve conſiderationem.

Quod Medicorum monita ſpernantur, hoc vel ipſorum Medicorum, vel ægrorum, vel denique ægris invigilantium cuſtodum vitio fit.

Medici namque ipſi materiem medicam non edocti compoſitiones abſque ullo judicio præſcribunt: quas, utpote ſapore nauſeoſas, adſpectu horrendas, odoreque intolerabiles ægri ita faſtidiunt, ut mori, quam ſumere, ſæpe malint. Præterea frequenter id animadvertas, ut Medici, Chirurgique in ſemet ægrotantes benigniſſimi, quovis aliquando Tyranno crudeliores ſeſe in alios præſtent; quod ſi Medici

com-

commiſerationis erga proximum meminiſſent, tædioſa pocula in ameniora, deteſtandos bolos in facilius ferendos, medicamenta alia adſpectu, odore, ſapore, quovis carnificii genere atrociora, facili Marte mutare ingratiſſima; aut ſaltem in minus ingrata poſſent. Quam artem Expertiſs. *van Swieten* ſerio crebroque inculcavit diſcipulis ſuis, quorum e numero me fuiſſe gratus agnoſco.

Cur enim, ſi formulas ſimul, & indicationi morbi, & ægri placitis reſpondentes concinnare poſſumus, non concinnaremus? cur ægrum ſuo jam ſatis miſerum morbo fruſtra torqueremus? præcipue cum hæc imprimis utilitas hinc oriatur, quod ægri tanto obedientius gratiora ſumant?

Dolendum profecto quod tam parum huic rei ſtudeatur. Electuaria dicta miſcent hauſtibus purgantibus, in quibus, a pulpa caſſiæ, a pulpa prunorum &c. ingrato adſpectu flocculi inhærent, qui nauſeam creant; cum tota efficacia pendeat a Scammonio, a Rhabarbaro, a foliis ſennæ &c. quæ ſeorſim ſine illis pulpis ſemper proſtant, ut mixturis diluantur. Quid ergo impellet Medicum ægros ſuos fruſtra ut ſic torqueat, cur decocti ingrati faſtidium corticibus citri, vel aliis gratiſſimis additis indicationi non repugnantibus, vel eidem faventibus, non corrigemus? Præſertim cum nauſeoſa illa nauſeam, vomitum, anxietatem, fa-

faciant, quæ egro obſunt, orroremque incutiunt a medicamentis. Sic felices tunc exiſtimant ſe ægri, ſi Medicum fallere queant, reſpondentque ipſi redeunti remque roganti ea, quæ juſſerat, abſumta eſſe: Lagena interim aut Pyxide clam in cloacam evacuata. Profecto & in his, & in omnibus humaniſſime cum egrotis agendum eſſe ſummi Artis parentes docuerunt. Sic *Hipp. Epid. VI. ſect.* 4. *n.* 7. „ In quibuſdam „ ægrotis eſt gratificandum, velut eſt ut ſcilicet „ cibus, & potus pure conficiantur, puraque „ ſint quæcumque viderint, & quæ tangunt „ mollia. In aliis quoque gratificari oportet, „ quo non magnam noxam afferunt, aut quæ „ facile ſarciri queat, veluti frigida, ubi ea „ opus eſt. In his etiam Medicum ægroto ſe „ gratum præbere convenit, qualia ſunt in„ greſſus, ſermones, corporis habitus, ve„ ſtitus, tonſura, ungues, & odores. *Aræteus Cappadox de cur. acut. lib.* 2. *cap.* 2. in Epithemate præſcribendo jubet grata odorifera, prout medicaminum efficacia, lenitate, odore, opus eſt, admiſceri aliis „ ſiquidem & ægro„ tantibus gratificari decet. „ Et *lib.* 1. *cap.* 1. *de cauſ. & ſig. chron.* loquens de diurnorum morborum moleſtia „ Mehercule, inquit, in „ magna animi conſtantia diu præſtanda, au„ xiliis variandis, jucundis citra noxam ægro „ concedendis, ipſoque docipiendo, Medici „ virtus atque excellentia dignoſcitur. „ Errant

rant itaque turpiter, qui ſuam erga ægrotantes ſeveritatem Antiquorum ſevera, & tetri diſciplina larvant: cum venerandæ Antiquitati nil acceptius eſſet; quam ſapienti morum gravitati comes nobiliſſima urbanitas, pectore candido nata, non ficto animo exhibita; cui nobiliſſime virtuti modernorum urbanitas ne vix quidem comparari poſſit. Hæc de Medicis qui partim in culpa ſunt, quominus medicamina ab ægris aſſumantur.

Verum ipſi ſæpius ægroti eorumque cuſtodes dicti, maximam partem in cauſa ſunt hujus infortunii. Namque vel ex negligentia, vel ex perverſo ægri appetitu, vel ex imaginaria ſapientia, qua cuſtodes ægrorum, maxime mulierculæ, Medicis præſtare ſe autumant, ſalutaria eorum monita circa victum medicamina, totumque rerum non naturalium uſum floccipendunt, redeuntique Medico, ac rem ſubolfacienti, mendacia vendunt.

Quam rem expertus *Hipp.* monuit Medicum qua ſingulari ratione id præcaveat. *Lib. de decenti hab.* „ adſit, inquiens, & diſcipulis „ aliquis, qui præſit, quo præceptionibus citra amarulentiam utatur, & quod imperatum „ eſt ſubminiſtretur, ex his vero deligendi, „ qui jam in arte provecti ſunt, ut ea, quæ „ ſunt uſui exhibere, vel ſecure offerre ſciant, „ neque in intervallis quidquam te lateat. „ Nullius vero rei curam plebeis umquam

„ com-

„ committas; alioqui ejus, quod male factum „ eſt reprehenſio ad te redundabit. „ Certe cum ſenior tunc temporis Medicus diſcipulos ſub ſua cura erudiendos ſemper ſecum habebat, poterat ille ingenti cum ſuo ægrotique emolumento aliquem, qui ægro invigilaret, redeuntique Medico omnium rationem redderet, præficere.

Quare jure merito feliciores hac in parte exiſtimamus cum Medicos, tum ægrotos, in Brabantia, vel alibi ubi Religioſi ordinis viri vulgo *Alexiani* dicti ægrotantibus viris, & fæminæ dictæ *Sorores nigræ* ægrotantibus fæminis invigilant, Medicum dum ille ægrotum inviſit, audiunt, ſtricteque, quæ ille juſſerit obſervant; ac redeunti omnium, quæ geſta ab ægro, & circa ægrum ſunt, rationem examuſſim referunt.

Qui quidem felicitatis gradus obtinendi ejuſmodi homines, qui unice huic negotio deputentur, cum difficile acquiratur; noſtrum erit, quantum ejus facere poſſimus, probatos huic negotio homines præficere; prudenterque, atque humaniter arcere eos, qui vel ipſi Medicinam facere deprehenduntur, vel contra citrave Medici mentem ægrotantem dirigunt.

Sed ut eo, unde digreſſus ſum, revertar; ultima objectionis pars ſpectabat ægrotos, qui Medicis a Pharmacopæo deceptis convaleſcunt.

Hos

Hos curari poſſe aliquando negare nolim, 1. in re minimi momenti Pharmacopæo peccante ut v. c. ingredientis alicujus doſin paulo majorem minoremve exhibente, qua in doſi permutanda periculi ſuberat nihil.

2. Mirum aliquando non eſt ægros convaleſcere, quando Medici merito decipiuntur: præſcribunt enim nonnunquam pinguedinem unius animalis, quam ſuperſtitioſe pinguedini, aut medullæ alius animalis præferunt. Plures aquas ſtillatitias religioſe diſtingunt, quas callidus Pharmacopola probe novit neque a ſe invicem, neque a pura aqua deſtillata vel cruda, viribus differre. Pulveres abſorbentes ex corallis, ex matre perlarum, ex margaritis pretioſis, præferunt Cretæ, lapidibus cancrorum, &c. In his, & ejuſmodi farinæ aliis cum decipiuntur Medici, non eſt quod multum damni inde patiantur ægrotantes.

3. Ut alia occaſione paulo ante dixi nonnunquam emergere poſſunt ægri hujuſmodi etſi peſſime peccaverit Pharmacopæus; quando bona fortiſque Natura morbum non modo, & adverſa remedia vincere novit, maxime quando per ſeſe graviſſimus morbus non ſit. Ita pulcre *Hipp. lib. de priſc. Med. pag.* 11.

Verumtamen & hoc cuivis exemplis heu! nimium tritiſſimis conſtabit plurimos peſſime habuiſſe, vel & interiiſſe ægrotos, quorum Medicos ita luſerant pharmacopæi.

Unde

Unde ratione omni non caruerunt eorum monita, qui Medicum ſuas ipſius adornare, & præparare formulas debere cenſuerunt. Horum ex claſſe non infimus fuit Nobilis Eques *de Montaigne* in libro ſuo *Eſſais* gallice dicto. Verum idem ille Vir præ ardore impetuque refellendi Juriſconſultorum ac Medicorum vitia, non ſemel totam vituperat diſciplinam, ſibique obloquitur multis ſane in locis. Nunc enim neceſſe ait ſuas omnes, ipſe ut paret Medicus, formulas: Nunc iterum ait Medicum, qui jam non amplius antiquo Ægyptiorum more uni tantum morborum generi, ſed pleriſque curandis ſe paratum exhibet occupatiorem eſſe quam ut ea, qua par eſt ſedulitate, atque induſtria ſingulis invigilet. Neque etiam antiquis illis temporibus, a Medici officio erat ſeparata Pharmacia. Ut proinde Vir nobilis alterutrum dicendo ſe ipſum explodat. Sane ſi ab una parte e re fore arbitramur medicamenta ipſe ut paret Medicus, quo, & tutius procedat ipſe, & æger minus periculi ſubeat; mox ab altera parte magna enaſcitur ſuſpicio ne is, qui ægrotis inviſendis totus occupatur, præparandis medicaminibus ſufficiat. Si cordati Medici praxi multis ab annis, jam aſſueti teſtantur, ut ipſe audivi, ſe tutos in conſcientia non eſſe, niſi ſingulo die bonam temporis partem annotando, & meditando inſumſerint, ut quæ a ſe geſta ſunt examinent,

quæ-

quæque in decurſu morborum, licet haud inſolitorum, ſibi, prout ſeſe offerent caſus, agenda erunt, præmeditentur; fere concludo Medico modicam exercenti praxin temporis forte ſatis cum ſtudendo, tum præparando, affuturum: plurimam vero praxin habenti timendum fore, (quod inculcantes ſæpe præceptores audivi) ne ejuſmodi Medicus Empiricorum moribus ſenſim, atque inſcius aſſueſcat; id eſt, ne formulam unam eandemque ſæpe præparatam in memoria habens paucis præparationibus plurimas repleat lagenas: niſi forte domi apto gaudeat famulo, qui huic negotio ſolus ſufficiat quamquam, & abſens ab illo famulo Medicus bonis Pharmacopæis æque fidere forte poſſit.

Quare laudandus potius magnarum in noſtra Rep. urbium mos, quo, juxta probatum cuique urbis Medicorum collegio Diſpenſatorium, Pharmacopæi ſeſe gerere ſub magnis pœnis, legeque ſevera teneantur, ita ut Medicus certus ibidem, atque ſecurus ſit de Pharmacopæorum fide, hique ipſi omnibus probe inſtructi opus non habeant, quid pro quo obtrudere. Hoc tantum ultra optandum foret, ut ſevera lege ſtatueretur quemque Pharmacopæum, mox a præparatione medicamenti, nomen aſſumturi chartulæ ad pixidem vel lagenam appenſæ inſcribere oportere; ne forte ejus famulus multas præparationes ſimul ſe-

cum gerens, ut ſuam cuique afferat, obtrudat alienam.

§. VII.

Alios ſanitati redditos, rerum uſu earundem, quas Medici audaciſſimo præſagio peſſima quæque effecturas prædixerant.

Reſpondeo hoc aliquando contingere quando Medici effectus rerum quarundam nimis hyperbolice deſcribunt ita ut deinceps his effectibus haud ita, ut quidem præſagi erant, contingentibus, merito derideantur.

Sed alind eſt quod plus ad rem facit. Caſus revera quidam ſunt, in quibus natura per vehementem, ac mirabilem prorſus appetitum morbi nonnumquam remedium indicat. Homo putrida in primis viis ſaburra laborans, appetitu inſatiabili fertur in haleces, ſalſamenta, acetum, cereviſiam acidam, acida poma &c. quæ certe omnia putredini contraria ſunt. Interim Medici fruſtra moliuntur per ſua *Stomachica* dicta ſedare nauſeas &c. malumque augent: quin & hanc ſpontaneam Naturæ indicationem ſpernentes quaſvis teterrimas, ſi uſurpaverint ægri minas intentant; neve ulla ratione appetita acquirere poſſint, amicos etiam, atque etiam ſerio monent. Nihilominus, non quieſcente natura, æger curat clanculum ſibi

ſibi deſiderata afferri quibus copioſiſſime aſſumtis a redeunte Medico reperitur ſanatus. Sic dum vera morbi cauſa haud ſatis attentus Medicum latuerat, Natura ad curationem per ſe ducebat. Cum olim Chemici plerique Medici, Hippocraticæ veritatis ignari, ægros ſuos acutis conflictantes ab omni omnino potu tyrannice arcerent, & interim calidis aromaticiſque corpora exardeſcentia in æſtum intolerabilem conjicerent; ægri, Natura ducente, aquoſa, ſubacidula, ſubfrigidiuſcula inſatiabili deſiderio appetentes, & clanculum haurientes, ſalutem ſenſim recuperaſſe viſi ſunt. Omnia hæc exempla, docent Naturam ſagacem aliquando ægrotantem inducere, ut ea appetat, hauriat, iiſque hauſtis ſaluti reddatur, quæ vel minus attentus, vel ridiculis ſyſtematibus infatuatus Medicus minax vetuerat. Non quod ſentiam huic appetitui ſemper obſecundari oportere, qui error foret craſſiſſimus, ut mox dicam, ſed monere volui eum non ſemper negligendum, atque cohibendum eſſe, imo attentionem Medici nonnunquam requirere. Vide hoc eleganter apud *Sydenh. pag.* 367.

Verum ut ut hæcce res ſe habeat, caſus hi longe rariores contingunt, quam quidem illi quibus conſtiterit, ægros per fas nefaſque Medicorum monita ſpernentes vitam cum morte, aut levem ſaltem morbum cum graviſſi-

mo, aut brevem cum diuturno commutaſſe. Quotieſne vel morbum atrociorem, vel ipſam mortem ſibi conciliaverint ægrotantes, ubi in acutis gelidam modo quovis prohibitam aquam, aeremve affatim hauſere? Quoties ne Hyſtericæ fæminæ ad angores animi frequentes ſanandos, doloreſve Pleuritidem, vel alios morbos fere mentientes abigendos, invitis Medicis ad frequentiores ſanguinis miſſiones confugiunt; maxime cum poſt M. S. aliquantulum ſolaminis expertæ videantur dum interea frequenti M. S. magis debilitatæ magiſque, in triſtiſſimi ſui morbi frequentiores, ac læviores incidant paroxiſmos? Quis ignorat Phthiſicos anſietatibus incredibilibus vexatos ad alvi purgationes, Medicis triſtia fruſtra vaticinantibus accurrendo, fluxum alvi, mortis in Phthiſi prænuntium, ſibi præmature conciliare? infinitus ero ſi retulerim plurimorum Podagricorum Hiſtorias, qui contra morbi ſævitiem fallacia Empiricorum ſolamina experti, ad redintegrantes Paroxyſmos eadem ſibi geſtiunt apponi; fruſtra dehortante Medico ſagaci, probeque gnaro in hiſce ærumnis moderato regimine totius vitæ, & ſumma tollerantia, atque patientia in Paroxyſmis præſtantius reperiri nihil. Hunc vero ſpernentes ægri ab momentaneo ſolamine crebriores experiuntur, ſævioreſque Paroxyſmos; vel materiæ podagrica arthriticave ad interiora nobiliora repulſa

in

in ineluctabilem mortem , aut præſens ſaltem ejuſdem diſcrimen, miſeri incurrunt.

§. VIII.

Multis imo teterrimis, aliquando, e morbis convaluiſſe homines, curantibus ejuſmodi Medicis, quos famoſi alii Artis Antiſtites tamquam methodo ſegnore, vel fortiore utentes, vituperant.

Data fuit, ni fallor, jam pluries ad hanc objectionem reſponſio; quæ tamen per momentulum nos iterum detineat, tracteturque paulo explanatius.

Ad partem illam objectionis, quæ Medicos fortiori nimis methodo utentes ſpectat, reſpondebit *Sydenhamus pag.* 152. ubi tam pulcras curandarum variolarum regulas tradiderat. „ Hæc ſane, inquit, vera eſt ac genuina me„ thodus . . . . . & licet non negem multos „ regimine admodum oppoſito tractatos, ni„ hilominus convaleſcere, fatendum eſt tamen „ . . . . plurimos etiam interire: quin & alii „ complures fatis pariter concederent, niſi „ vel a frigidiore tempeſtate, in quam inci„ dit morbus, vel a Phlebotomia aliter ſu„ pervacanea, atque inutili, nuper cele„ brata, ſervarentur. Et *pag.* 168. & 169. „ deſcribens febris continuæ varioloſæ di„ ctæ curationem. „ Hæc ſane methodus, ait

ait , optime mihi ceſſit . . . . Non quod ego numquam via longe contraria incedentibus ſpectator interfuerim , adhibitis ſcilicet cardiacis „ & calido Regimine, ægro nihilominus a mor„ bo ſæpe liberato : ita tamen ut mihi ſem„ per videretur is non mediocre diſcrimen „ adiiſſe , nulla id ſuadente neceſſitate „ . Deinde exempla affert aliorum Medicorum , qui calido ſuo regimine Petechias numeroſiores , ſitim immaniorem , linguam ſiccam ac ſæpe nigram , ſudores antea provocatos , penitus nunc intercidentes , ob exauſtum ſanguinem effecerant ; deinde ſanguine novis liquidis repleto vi medicamenti febriſque Criſin faciebant , coactam nimis , ac periculoſam , rariuſque contingentem .

Ex *Hipp. lib. de pr. Med.* jam alibi reſpondi cauſſam , cur ſub violentioribus Medicis ægri emergant , hanc eſſe præcipuam quod æger , & vim ſui morbi , & imperitiam violentam Medici ſimul bonitate naturæ vincat : ſiquidem tunc quando , vis morbi tam magna non ſit , ut etiam longe graviora homo ferre poſſet . Quam eandem rem confirmat Moricæus , quam plurimis exemplis gravidarum fæminarum , quæ ut hydropicæ validiſſimis tentatæ hydragogis , vel ut ſcirrho uterino laborantes variis modis a peſſimis Medicis Chirurgiſque tractatæ ; vel ut menſtruorum retentione correptæ M. S. ex pede aliaque perverſa

ſa remedia expertæ, tamen feliciter prolem enixæ ſunt tempore requiſito. Vide ejuſdem *Obſerv.* 161. 195. 224. 305. 429. 471. 524. 642. 644. 690. 697. Quæ quidem omnia docent homines ſuis fortioribus uſos poſſe nonnumquam bonitate naturæ periculo emergere; ſed tamen tam parum huic draſticæ methodo favent, ut laudatus mox *Moricæus obſ.* 644. pulcre advertat eodem jure Artem bellicam vitæ tutiſſimam dici poſſe, quia viſi ſunt homines ſine ullis vulneribus multiplici annorum ſerie præliis, atque obſidionibus urbium interfuiſſe.

Verum ſecundo, & alios reperias, qui vulgo prudentiſſimi audiunt, quique tam lente, tam circumſpecte, tamque raro medicamenta paulo fortiora ingerunt, ut vix auſint doſin ultra minimam exhibere, vix paulo acriora propinare; ſed ægrum ſuo potius fato committere, quam vel illum interturbare malint, ac quia tamen aliquid dandum, ejuſmodi exhibeant, quæ certe vi ſua hominem ad plures non mittent. Facile eo inducor ut crediderim, bonos illos viros ad hancce praxeos mollitiem perveniſſe, quia vel proprio periculo datis intempeſtive acrioribus, vel audaci Agyrtarum methodo perterriti didicerant, quam truculenta ſæpe atque exitialia mala hinc orta fuerint. Verum nonne hocce eſt ita Scyllam evitare, ut incidant in Caribdim? Nam-

que non minus peccat Medicus negligendo ejuſmodi dare, quæ languens, ſtimuloque indigens Natura indicat; quam Medicamenta vel copia, vel vi excedentia, aut intempeſtiva, exhibendo. Quid enim? Ubi homo in aquam incidit, numne prudentes dixerimus eos, qui ad ripam ſtantes hominem tantum lapidibus non obruunt? Certe eorum erat ſedulo, & confeſtim funes projicere, harpagineſque fluctanti cum undis porrigere, quibus ille abreptis in continentem duceretur. An vero illi cæteris prudentiores ſe exiſtimabunt ſi hominem tantum ultra non demergant, otioſos cæterum humanæ calamitatis ſpectatores agant: quia viderunt audiveruntve, alios nimium impetuoſe feſtinanterque agendo hominem aquis illapſum profundius merſiſſe, aut imprudenter porrectis harpaginibus vulneraſſe lethaliter? eodem ſane modo prudentes noſtri Medici ſe gerunt. Specioſo prudentiæ titulo larvati dicant Naturæ tantummodo obſervatores ſese Miniſtroſque eſſe, cujus impedimenta tantum auferenda ſibi ſunt, viſoſque non paucos hac ſua emerſiſſe methodo. Sed eodem pacto illi in ripa agentes, & ſubmerſum non ultra demergentes excuſabuntur, quia pene ſubmerſi homines aliquando viſi ſunt citra auxiliatrices adſtantium manus ripam, aut navim propinquam conſcendiſſe. Sic putaverim in medicina facienda haud ſecus, qui minus nihil-

hilve; quam qui nimium agunt, culpandos eſſe.

Hinc ſapiens ubique *Hippocr. lib. VI. epid.* 1169. Μηδὲν εἰκῇ μηδὲν ὑπερορᾶν nempe „Nihil *temere* agendum eſſe, ut & nihil *negligenter*„. Et *Aræteus Capp. in curat. Epil. Chron.* „ Νυν δε χρη ουδεν υπεροραν, μηδε „ πρησσειν τι εικη „ Utique nihil prætervidendum, aut ſpernendum eſt negligenter, nihilque *temere* faciendum.

Itaque quicumque in utramvis partem nimium inclinant, peccant; medium tenuere beati, qui & mollioribus utuntur ubi opus eſt, & fortiora non negligunt ubi indicantur.

EPILOGUS.

Sic plurimas eaſque præcipuas, ad quas reliquę omnes referri poſſunt, objectiones, quæ in artis quam amo, quam colo, quamque quoad vixero, ſtrenuę exculturus ſum, dedecora proferuntur, ſi non omnino exploſi, explodere ſaltem conatus ſum: cæterum ſermonis barbariem, juveniſque artem a limine tantum ſalutantis impolitam balbutiem tum benignitate ſolita, tum divinæ acutie mentis, Lectores expoliant, defectus ſuppleant, cunctaque æqui bonique conſulant, etiam atque etiam rogo.

Quæ in præclaræ artis opprobrium objiciuntur,

tur, candidus recenſui; ſi quid veri iiſinerat, ingenue faſſus ſum; ſi objectioni factum eandem confirmans deerat fidelis adjeci: ſcilicet ut integras hoſtium copias, quibuſcum mihi concrediendum erat, totas armatas, & cataſractas ab omni parte intrepide luſtraſſe viderer; quo & vim earundem propius cernerem, & aptiſſima quibuſcum confligandum erat, arma mihi adornarem.

Quod ſi nihilominus qui ſint, quos multorum litigantium inter ſeſe Medicorum turba offendit, meminerint hi eandem quoque ſortem aliis quas veneramur, diſciplinis, ſcientiis, artibuſque obtigiſſe. Architecturam præclaram agnoſcimus artem eſſe: Architectos autem quotidie cernimus alios aliorum operibus inſultare, varioſque in iisdem varia acerbius reprehendere: in qua reprehenſione ne vix quidem inter acutiſſimos Momos convenit. Facile vero ignorantiam invidiamve cauſam diſcrepantiarum agnoſcimus, Architecturæ opprobrium abſit, ut inde concludamus. Juriſprudentiam conſideranti tam enormis occurrit ſententiarum differentia, ut referre fere pudeat: attamen merito omnes maximi facimus peritiam juris, utpote oppreſſis aliorumque ſub violentia gementibus ſolamen unicum aſylumque. Si fas eſſet enarrare has eaſdem diverſitates opinionum inter ipſos divinorum oraculorum Interpretes obtinere; concluſionis, quam

ex

ex varietate opinionum inter Medicos deducunt, iniquitas Meridiano ſole evidentior appareret: verum cum ejuſmodi Tragœdias referre lugubre hinc illinc odioſum ſit en manum de tabula.

Medicam itaque Artem favente ſummo Numine auſpicabor, quam venerandus ejuſdem parens *Hipp. lib. de flat.* mihi prædixit earum Artium e numero eſſe, quæ, cum communi bono quamplurimum conferant exercentibus ſeſe nil niſi moleſtias creant. Quin & divino huic Viro invidiam calumniandique pruriginem non pepercisse colligimus ex ejuſdem ad *Democritum* Epiſtola, & ex litteris *Democriti* ad *Hipp.* ſummi in arte Viri, quibus ob collata in humanas miſerias beneficia aureæ ſtatuæ erigendæ forent, acutos dilacerantium, & calumniantium dentes quotidie experiuntur, præſertim cum ne cerdo quidem aut caupo, aut incurva vetula ſit, quæ Medicum non culpet, non reprehendat, non vituperat. Sed pulcre exemplo præivit ſuo *Hipp.* monuitque in *lib. de Arte*, qui ſe gerat in hiſce Medicus „ Periti Artifices, ait, non morantur imprudentes, aut reprehenſores, aut laudatores ſed eos tantum qui recta ratione judicant „. Horum omnium clarorum Virorum veſtigiis preeſſe inſiſtendo ſpero fore, ut & ego omnes has ærumnas tranſire tædiaque devorare tandem queam. Itaque ſalutem proximi

mi

mi præ oculis habens, ſolumque in tota conſcientia DEUM teſtem intuens, hujus mihi favorem, artis exercitum auſpicaturo imploro, Ipſi acceptum relaturus quidquid in humanarum calamitatum ſolamen vel docte excogitavero, vel rite adminiſtravero, vel probe geſſero.

F I N I S.

COROLLARIA

I.

MUltæ varieque circa Chylopoieſin opiniones inter ſeſe conciliari inque uſum vocari poſſunt, dum ſtatuimus in pleriſque aliquid veri ineſſe in eo vero erraſſe earum auctores quod ſuam quiſque opinionem ad totum chylificationis negotium perficiendum ſufficere ſtaterint.

II.

Sylvii autem ſententia de Bile alcanina, & ſucco pancreatico acido ferenda non videtur, nec etiam neceſſaria eſt: ut nec Helmontii opinio de Acore vitali venticuli.

III.

Si quis omnia chylopoieſios inſtrumenta re vera demonſtrata examuſſim intelligat, iis omnia ejuſdem Phænomena rite exponere videtur poſſe.

IV.

Materia ſpirituum videtur in arterias corticis cerebri cerebellique a ſanguine arterioſo ſecerni, & hinc per medullam, ceu per vaſorum continuationem derivari in nervos.

V.

Per nervos fit a ſenſorio communi determinatio ad corporis partes ſenſui & motui, tum vo-

voluntario, tum ſpontanea, deſtinatas, ut & impreſſio a partibus ſentientibus ad ſenſorium commune.

VI.

A cerebello ſecernuntur qui vitalibus actionibus inſerviunt ſpiritus.

VII.

Minima vita in homine requirit ad minimum Liberum utrumque circulum Humorum verſus cor deſtrum, inde per pulmones, ex pulmonibus a cor ſiniſtrum, a corde ſiniſtro ad cerebellum hincque iterum aliquem ſpirituum vitalium affluxum per Nervos cardiacos atque Pulmonicos.

VIII.

Non datur panacæa.

IX.

Nullum fere alimentum aut medicamentum ſalubre vel noxium dici poteſt, niſi is, qui hoc dicturus ſit ad varias hominum naturas aliaſque complures circumſtantias reſpiciat.

X.

Errores propemodum infinitos peperit apud Ignaros Mos quo Medicamenta in antiſpaſmodica, antapopletica, antiſcorbutica, ac dividuntur: ut & ille, juſta quem eadem in cephalica, cardiaca, ſtomachica, uterina echolica, &c. diſtribui ſolebant.

Deco-

XI.

Decocta Vulneraria, quæ Belli Ducibus proſunt, Militibus plerumque abeſſe deprehendantur, & viceverſa.

XII.

Medici judicibus de vulnere renunciaturi anxiam conſcientiam tria hæc tranquillam reddunt, 1. Exactiſſimum ſentiſſimumque examen vulnerati, tum quoad vulnus tum quoad ſtatum in quo is ante vulnus erat, tum etiam quoad bene maleve tractatus mox a vulnere fuit 2. caſta eorundem deſcriptio facta judicibus, qui DEI MALORUM VINDICIIS nomine veritatem inquirunt 3. Prudentiſſima cautela ne vel verbulo Reum, ultra quod ſeveriſſima indago docuit oneret.

XIII.

Peccatum cui venia concedi nequit, aliquando committitur, dum fractum os reponitur quam pulcerrime.

XIV.

Peſſima luxatio ſæpe immedicabilis & claudicationem perpetuam faciens, oriri viſa pluries ab incauta geſtatione infantum in Brachio matris nutricis, cuſtodis.

XV.

Cauſa ſtupidi ingenii multorum hominum, ipſiusque fatuitatis perpetuæ, haud quaquam infrequens eſt illa non toleranda libertas qua mu-

mulieribus opiata a pharmacopeis emere liceat quibus moroſos infantes ſopiant.

XVI.

Facultatem in matre eſſe mutandi quem utero gerit fætum, agnoſco: rationem vero qua id fiat ignoro.

XVII.

Interim laudabilis mos eſt ſapientum matronarum, quæ gravidæ mulieris, ab aliquo inſolito horridove objecto perterritæ mox manus apprehendunt, ne illa alicui corporis parti eaſdem eo tempore applicent.

XVIII.

Quum canina rabies tam pernicioſa ſit, curatuque tam difficilis expediret ut canes numquam niſi bene capiſtrati exirent, vel domi ſemper detinerentur; præſtaret quoque ſcedulas monitorias in vulgus ſpargi, quibus exactiſſima rabiei caninæ indicia a principio ad finem uſque graphice depingerentur, ut ſic moniti homines hos canes illico occiderent.

XIX.

Impius eſt, qui utile cælat arcanum.

F I N I S.